10
I-B
19

10
4 I
38

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

50 50
D D

Digitized by Google

L
528

IOHANNIS
BERNARTI
DE
Vtilitate legendæ Hiſtoriæ
LIBRI DVO.



Bibl. Coll. Soc. · Soc. Rom. Jesu
BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.
M. D. XCIII.

IVSTO LIPSIO
VIRO CLARISSIMO
IOHANNES BERNARTIVS
DEDICO, CONSECROQVE.

ADOLESCENTIAE meæ primitias viſum tibi conſecrare, Lipſi clariſſime virorũ, mea cauſſa, tua, ſeculi. Mea; qui amicorum tuorum albo nuper adſcriptus, tibi per inſana hæc arma Muſas profugas, in hanc vrbem, veterem ſuam ſedem, eruditorum omnium plauſu ac gratulatione reducenti, nouæ amicitiæ libamentũ aliquod offerre æquiſſimum iudicaui. Tua; qui Senatus litteratorum Princeps ab omni legitimo cenſore in hoc luſtro lectus, cultum & obſeruãtiam ab omnibus litteraturæ melioris candidatis iure quodam tuo tibi vendicans,

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

magni cultus, magnæ obſeruantiæ exiguum hoc pignus non reiicies, ſi noui peculiarem tibi humanitatem, qua non minore cum laude vincis omnes quàm eruditione. Seculi; in quo Momuli quidam ſemibarbari, ſemilatini, ſimul atque binas voces aut formulas malè vinctas poſſunt effutire, tantos ſibi ſumunt ſpiritus, vt omnibus de re, de phraſi, de verbo diem dicant: & cùm ipſi nihil edant, neſcio quid tamen in alienis ſcriptis difficiles Ariſtarchi deſiderant. planè vt non vanè timeam eos tenellam hanc & adhuc in cunis vagientem prolem nedum preſſuros, ſed oppreſſuros, niſi in ipſo frontiſpicio LIPSI mei nomen præfulgeat. Quo lecto, ſtatim diffugient, reſpuent, nec vllo pacto ferēt noctuę hunc Solem. Audaculus fortaſſe aliquis ac inſolens à longè nugabitur magis quàm loquetur: ſed tu vnus propicius dum mihi ſis Iupiter, eius garritum cum noſtro Comico non æſtimē triuilicio: dum probè ſciā, id quod tu probas, probatū iri doctis, quibus etiam ſolis probari cupit Bernartius. Tibi igitur hoc quicquid eſt mei laboris

atque

atque operæ do atque dico:tu dedicanti, doctiſſime Belgarum,faue,ac noſtris paſſerculis inter tuas aquilas pennas largire. ſuaui beniuolentię & amoris aura (quod occepiſti) ſuſtine hunc animum, qui eſt & erit æternùm tibi tuiſque deuotus. Vale.Louanij,VIII Id. Sept. ∞ IↃ XCII.

BENIVOLVM LECTOREM
S. ALVERE IVBEO.

PRIMVM *ingenioli mei fœtum habes, mi Lector. ſubſiſte paulisper, non diu te morabor: nec antè rem aut præter rem multa præfabor. Cenſoribus tãtùm nonnullis, qui, vt nunc tempora ac mores ſunt, cenſuram paſſim ſine ſuffragio gerunt, reſpondebo, idq́ue breuiter, quoniam, vt ait vetus Poëta,*

Pindarus

* ἐυώνυμον εἰς δίκαν τρία ἔπεα διαρκέσει.

*Iuſtam ad cauſſam tria verba ſufficient.

In re, in ſtilo (vtinam vanus vates ſim!) erunt quæ culpent, ſine tamẽ noſtra culpa. de re enim quid turbant? Hiſtoriam iuuentuti noſtræ (huic enim ſcribimus, nec rerum vſu peritos ſumpſimus formandos) commendatam cupimus: quam teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nuntiam vetuſtatis, Suadam noſtram Romanam appellaſſe, & hac ſententia omnes omnium virtutum atque diſciplinarũ vtilitates complexam ſcimus. Hoc ne offendit? *Minimè, inquient; ſed candida illa Homeri vox*

Cic. lib. 2 de Orat.

* —— ἐχθρὸν δέ μοι ἐςὶν,
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν,

auribus noſtris inſonat. Audio & ego illam,

Odyſſ. μ.

* Odi ego porrò, Rectè dicta alijs, iterum ſermone amplecti.

& probo. Sed quid? quaſi neſcias, inquient, F. Patritium, I. Bodinum, F. Balduinum, I. Pontanum, & plerоſque alios hanc viam ante te ingreſſos? Suſtinete pauliſper nigrum calculũ, boni viri; ſcio ingreſſos. ſed an vſquequaque pede recto illam peragrârint, iudicent illi, quorum propria cognitio hæc & cenſura. ego nihil definio, quoniam didici turpe eſſe, præſertim adoleſcenti, arrepta virgula cenſoria arbitri honorarij induere perſonam. lubénſque ea propter iudicium meum in iudicium mitto, atque ijs ſubijcio, qui potiores iſthæc præ me cernere ac dijudicare. hoc ſolum dico, ingredi & me cum venia hoc iter. & licet multa illi habeant, adeò tamen non omnia, vt & nos quoque de vtilitate legendæ Hiſtoriæ *ſcripſiſſe, non exſcripſiſſe fidenter profitear. illorum in manus omnium verſantur, en noſtra damus; conferte. Nec plura; de re ad ſtilum tranſeo, quem inæqualem fortaſſe nec vndique ſui ſimilem dicent. O ipſos alba mẽte! qui id mihi vitio vertunt, quod doctior aliquis in laudem. nunquid interdum Oratorem, interdum Dialogiſtam, nonnunquã Interpretem ago? & in hac varietate ſermonis nunquid vario vtendum ſtilo? liquet. At erunt fortè alij qui in arctum*

 nos

nos redigent, & concludent tantùm finibus Tullianæ phraſis. Quàm riſi cùm hoc in mentem venit! equidem vniuersè teſtor, amare me ac venerari terſam illam natiuamque Ciceronianæ dictionis formulam; agnoſcere Tullium ſummum eſſe Latinæ linguæ autorem, & à cuius autoritate non cadit prouocatio: ſed non ſolum. Quid enim? ſi quid ſcitum, ſi quid neruoſum habeat decima illa Muſa Plautus noſter, ſi quid Liuius, Saluſtius, Plinius, Seneca, Grammatici antiqui, denique Iuriſconſulti noſtri, qui vocabulorum ſibi vim adeò iure quodam ſuo præ ceteris vendicant, vt doctis paſſim ſuffragantibus acerrimus quidam Criticus ſcripſerit, proprietatem ac puritatem Latinæ linguæ ex ſolis Pandectis poſſe reſtitui; an negligam, quia vulgo aut non lectum aut neglectum? nec colores ex eorum officina petitos, quorum teſtimonia vim ſententiæ apud erudititiſſimum quemque ſemper habuerunt, aliquando inſpergam? propter eorum morbum quibus etiam alabaſter vnguenti plenus (vt Cicero ait) puteſcere videtur, aut propter magiſtellorum quorundam ſtultitiam, qui etiam nunc Midæ aures habentes, damnandum cenſent quicquid non capiunt, neque ferunt bonas artes (cum

Liuio

Liuio loquor) ſuboleſcere? nihil vident, inquit ille, qui Solem non vident. Tu mecum, æque ac candide Lector, probum ac rectum habe quicquid probi ac priſci illi ſcripſerunt. neque cognoſcendi quoque ac examinandi ſolùm animum adfer, ſed ignoſcendi. Non ad regulam, non ad perpendiculum libellámque, non ad obruſſam hæc exige, non denique, quod Pindarus inquit,

* Βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδαμάνθυος

iudica. Nouitij ſumus atque tyrunculi, qui adusque medium litteraturæ adeò nondum peruenimus, vt ex aſſiduo propemodum maximorum tractatu autorum, velut attrito crebriùs ſilice, pauculas ſolùm (quod modeſtiùs multo quàm veriùs de ſe litteratiſſimus ille Etruſcus) veri ſcintillas nos excudiſſe, tantúmque flammæ rapuiſſe fomitibus, vt in nocte cæca ac illuni aliquid iam tãtùm fulgoris mihi ſubluceſcat, ingenuè agnoſcamus. Sicubi igitur in vaſto hoc litterarum pelago ingenioli noſtri cymbam fluctuare, & de ſuo curſu depulſam periculosè iactari fortè notabis, non te ideo minùs humanum, benignũ, aut beniuolum præbe. ſed quod ſtricto iure poſſet negare ſeueritas ac grauitas, id ætati concedat beniuolentia tua ac caritas:

* Sentẽtiis rectis ac rigidis Rhadamanthi.

quo his veluti ſecundis adiuti ventis, in littus ſaltem, ſi in portu non licet, ſalua rate, & vectore exponamur; & ætate magis firma, firmiora deinde, & magis (vti ſpero) ad tuum guſtum aliquãdo demus. quod facturum me ſpondeo, modò faueat non Philoſophorũ illa Pallas, non Poëtarum Phœbus atque Muſæ, ſed vera noſtra Minerua CHRISTVS, *veri Dei*
Iacob. 1. *vera proles*, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum.

ANNVE AETERNA SAPIENTIA PATRIS.

N. OV-

N. OVDARTI I. V. DOCTORIS CLARISSIMI, ET METROP. ECCL. Mech. Canonici, in lectiſſimi iuuenis I. BernartI primum opus.

QVALIA *deinde dabit, qui ſic præludit? & offert*

Ingenij hos flores primitiáſque ſui?

Scilicet, oſtendens Bernartius vngue leonem,

Tyro docet quantus poſtmodo miles erit.

At bene Lipſiacæ ſeſe ac ſua conſecrat aræ,

Ius quoniam Phœbi Lipſius omne tenet.

IN ACCVRATISSIMOS IVRIS ET ELOQVENTIAE laude illuſtris iuuenis Iohannis Bernartl de vtilitate legendæ Hiſtoriæ libros ode panegyrica IOHANNIS PALVDANI.

COncuſſa ſub pluuijs diu MACHLINIA,
Infeſta ſortis inter duræ vulnera,
Zephyris ſecundis incipis afflarier;
Vt efferas POLO *caput, dum* PALLADOS
(BERNARTII *nacta hic* TVBAM) *curas* SACRA;
Vt auribus polita doctis inſones,
Et concionis gratulantis murmure
Felix ALVMNO *prædiceris*, ÆGIDE
Qui TVLLIANA *ſedulus ſe muniat,*
Vt BARBARORVM *mox gregem medium ſecet.*
Huc huc vorate concito viam gradu,
Quos docta mulcet CVLTIORVM *lectio,*
BERNARTIANVS FOETVS, *en auibus bonis*
Adeſt, apertum contuetur aëra:
Tam multiformi fabricatus PALLADE.
Formatus illâ lege, & obſeruantiâ,
Vt nil deeſſe, nil ſuperfluum putes;
Miranda nam rerum latet profunditas.
Si triſtis hîc frontis doloſæ ænigmate
MOMVS, *notatione quid decerpere*
De laude facti geſtiat, culpam feret,
GRVDIAE MINERVÆ *iuſſu apertè in vulgus it.*
SENIVM *extimeſcet haud* EDACIS TEMPORIS:

Annos

Annos feret, nec interibit, artibus
Dum laus erit, ſtabúnique digna encomiis.
HISTORIAE *amabilis probè hîc* FRVCTVS *patet,*
Delectat, hîc DEMOSTHENES, *docet, mouet:*
Hîc ore pleniore PLAVTVS *intonat.*
Vt dulcis HYBLAE *peruolat flores apis*
Operoſioribus fauis, fragrantia
Condítque mella, in ſomnibus conatibus;
Sic ſcripta DELIBANS *veterum* ΣΟΦΩΝ
BERNARTIVS, *ſuaui ſtilo mirabilis,*
Mirâ eruditionis affluentiâ
Abſtruſa cunctis ſenſa, ab imis eruit:
Aequauit hic noſtrum, vetuſto, ſeculum
Cultiſſimæ lepore linguæ, POSTERI
Quam promouebunt æmula, IVVENIS, *phraſi;*
Laude excitati, ſic deinde PVRIOR
SERMO *vigebit, &* SVAVILOQVENTIA
Agreſtiorem BARBARI *morem exuent.*
Creſce igitur, & FRVCTVS *fer* OPTATISSIMOS,
BERNARTI, OLYMPO *quo* DEVS *te pòſt beet,*
Et LITTERATVM *poſteris fama aſſerat.*

IN

IN IANI BERNARTI DE VTILITATE LEGENDAE HISTORIAE.

VT *fortunatum quondam dicebat Achillem*
Magnus Alexãder, magni rex maximus orbis,
Præconem quòd virtutum inueniſſet Homerum:
Sic ego felicem, ſic térque quatérque beatam
Hiſtoriam dico, cui contigit, antè iacenti,
Per te BERNARTI, *pérque hæc tua ſcripta, leuari.*
Namque (nefas!) multis multum deſpreta iacere
Quæ priùs, & cuius nimium ſordere voluptas
Cœperat; incipiet ſummo ſe tollere cœlo
Nunc, poſtquam obſcuros fructus, preſſoſq; tenebris
Eruis hoc ſcripto, BERNARTI: *diſſeris in quo*
Lector in hiſtoria fructus haurire legenda
QVOS *queat, ídque queat* QVANAM RATIONE *viáque.*

G. Buitevvegius.

IN IOHANNIS BERNARTI, DE VTILITATE LEGENDAE HISTORIAE, LIBROS.

ATTOLLIT *meritò felix* MACHLINIA *criſtas,*
Dum BERNARTS *ciuem iactitat eſſe ſuum.*
Nec minùs exultat PHOEBI *gens* GRVDIA *nutrix,*
Tam docuiſſe, bonum, quàm genuiſſe, putans.
Audiat hæc CLIO, *dicet, meus ille, tacete,*
Omnibus Hiſtoriæ qui reſerauit opes.

Carolus Pontanus Louan.

AD

AD LECTOREM.

QVOD conſpecta pharus vario dat lumine vaſta
Aequora ſulcanti, cùm vaga luna ſilet;
Et quod luſtratis Phœbi dat flamma tenebris,
Erranti in ſiluis dum manifeſtat iter;
Hoc dat præſtanti methodo BERNARTIVS illis
Cognitio variæ queîs placet Hiſtoriæ.
Nam commonſtrat iter, veros decerpere fructus
Qui poſſint; doctè diſputat atque docet.

AD AVTHOREM.

O Felix nimium liber hic, quem prima iuuenta
Conſpicuum ſupra reddidit inuidiam.
Quò tandem euades docto ſpectabilis orbi,
Hæ ſi primitiæ nomen ad aſtra vehunt?

Rene. van Ryſwick, Nouiomagus.

I. BER-

I. BERNARTI
DE VTILITATE LEGENDÆ HISTORIÆ
LIBER PRIMVS.

CVm ab eo tempore quo primùm certam vitæ rationem inſtitui, & in Louanienſi hac Muſarum ac Gratiarũ ſede melioris litteraturæ candidatum profiteri me cœpi, id ſemper ſpectaſſem ſedulò vt probatiſſimis viris quã maximè probarer; & me ad eorũ amicitiam applicarẽ qui erãt ingenio atq; litteratura præſtantiſſimi, vel ea ſola ratione, quòd vt aromata tangẽtibus ſemper aliquis adhæreſcit odor, ſic bonos ac eruditos frequentantibus aura aliqua virtutis ac doctrinæ; ſiue id accidit quia à rectis mentibus, non ambitione ſed officio incenſis, diuina nunquam abeſt benignitas; ſiue tãta vis eſt in optimis artibus, quibus optimo iure nomen humanitatis tribuitur, vt illarum ope facillimè earũ cultores adamantino quodam amoris vinculo nectãtur; cùm homines eruditos peramanter obſeruarem, nullo negotio conſecutus ſum vt illi mihi parem voluntatem reddentes cumulatiſſimè gratiam referrẽt. Erat autem mihi magnus vſus cum Gulielmo Huyſmanno, publico Latinæ linguæ in collegio Buſlidiano trilingui profeſſore, viro in cuius fronte, oculis, vultu, habitare humanitas,

Amicitia bonorum fructuoſa.

Facilè conciliatur.

G. Huyſmannus.

Virtus eius. in cuius pectore fides, candor, & ſimplicitas, grauitas denique comitaſque pari libra videbantur. Sermo illi facilis idem ac profluens, non anxiè, non moleſtè diligens, magiſque ſimilis neg-

Eruditio. ligenti, candorem tamen vbique latinitatis & quaſi pudicitiam præ ſe ferẽs. In ſcriptione vbique faſtidij expultrix, lectionis inuitatrix blanditur varietas, vbique numeroſus ambitus, grata concinnitas, pura venuſtas, ac talis planè color, qualis Apellæis dicitur fuiſſe in tabulis, elucet, viuit, ac ſpirat. denique ne longiùs euager., vno

**Totus in veritate effictus ex Ioue ramus.* veroq; verbo dicam, *πᾶν ἐπ᾽ ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ διὸς ἔρνος. Cum hoc igitur viro & ſermo mihi fuit de litteris creber: & ſi quis locus illi aut mihi multa legenti explicatu difficilis inci-

Docti cur viſendi. diſſet, iucũda ſæpius diſceptatio, nec infrequens quoque ſed non infructuoſa ambulatio; cũ ſemper aliquid diſcerem, nunquam niſi doctior recederem. Quod ipſum, ſi vnquam aliàs, die quodam æſtiuo certè accidit, quo ego eum pomeri-

Dialogi occaſio. diano tempore offendi in cubiculo diligentiſſime legentẽ. Salutaui; &, ſiccine tu ſemper Huyſmanne in libris, chartis, noctu, diu, aſſiduus, accubuus? inquam. ille adſurgẽs; & ſuauiter, tu mi Bernarti es? inquit. primam pãdectarum noſtrarum partem modò in manus ſumpſeram (erat enim Duaci poſt ſolemnia experimenta Iuriſconſultus renuntiatus, nec planè ita Muſis iſtis manſuetioribus addictus, vt non oculos ſæpius mẽtemq; flecteret ad noſtram Aſtræam) & valdè optabam ad manũ laurus fuiſſet quam morderem, ita præcordia mihi ſaliebant ad riſum. Quid enim tam infandũ ſomniauit vllus ægro-

tus,

tus, quàm illud quod ad totum hoc Pomponij caput (& ſimul librũ propiùs admouens cognoui quod verſaretur in titulo de *Origine Iuris*) comminiſcitur potiùs quàm commentatur Accurſius noſter, vir alioquin planè talis, vt eum, ſi cùm latialis phraſis, tum præcipuè antiquitatis magis fuiſſet peritus, omnibus tam Græcis, quã Latinis interpretibus Iuris, ſi mei arbitrij res foret, anteponere non dubitem. Sed hoc lumine deſtitutus, mirũ quàm ille ſæpius, quaſi in Cimmerios delatus eſſet, cæcutiat, quàm frequenter ludos faciat equite adeò non plaudente, vt adoleſcentulis etiam ſeſe ridendum præbeat. Quo magis gratulor tuæ felicitati tuorumq́ue ſimilium, mi Bernarti, qui inſtinctu quodam̃ afflatuq́ue diuino ſic ſub Iuſtiniano ſtipendia meretis, vt Mnemoſynes interim filias non deſeratis. Quinimo cottidie meliore iſta litteratura animum excolitis, & per latos ac lætos illos hiſtoriarum campos attentiore mentis oculo vagamini. Perge, te quæſo, gnauiter, & in hoc iuuenili vere fac ſementem, quo aliquando immortalitatis facias meſſem. conantur, ſcio, hoc inſtitutum diſſuadere rabioſuli quidam & craſſa ruſticitate feroculi, qui defluentibus oculis vereq́ue noctuinis, cum Anaxagora niuẽ atram iudicantes, ita etiam obbrutuerũt, vt frugibus inuentis glandem adhuc defendere pugnaciter pertinaciterq́ue quo iure, quaq́ue iniuria obſtinauerint. Quorum fœdorum hominum fœdis vocibus, allium, hircum, canem, capram, ſuem (quod ille inquit) olentibus planè, vti facis Bernarti, contemptis, hoc à tuo Huyſmanno audi.

De Accurſio ſententia noſtra.

Litteræ I.C. vtiliſſimæ.

Itidem Hiſtoria.

Cõtraria opinio refutata.

Hiſtoria vitam priuatã & publicam dirigit.

vt nauis quæ ſine clauo inter fluctus iactatur, ſic mens quæ vel in Reipublicæ cura, vel in quocumque liberalium artium genere ſine Hiſtoriarum gubernaculo verſatur. vixdum finierat

C. Veranneman.

Huyſmánus, cùm Cæſar Veranneman, ampliſſimi Regij Conſiliarij Ferdinádi Veranneman, noſtra laude maioris viri laudatiſſimus filius, in Muſarum ac Gratiarum ſinu altus ac educatus iuuenis, familiaris meus, cubiculũ eius ingreſ-

I. Varicius, A. Vosbergius, familiares mei.

ſus eſt; & cum eo Iacobus Varicius & Arnoldus Vosbergius ſpectatiſſimæ modeſtiæ ac doctrinæ iuuenes, quibus cum diutiſſimè vixi atque coniunctiſſimè. ſuſpicatuſq; ex ipſa intentione ſingulorum altiorem inter nos eſſe ſermonem, vacatis ne? inquit, an moleſti interuenimus? dicite obſecro, & abimus; iamque auertebant. cùm ego; minimè, minimè inquam; quinimo vellem maturiùs interueniſſetis, delectaſſet enim vos accuratiſſimus Huyſmáni noſtri ſermo, qui dux & doctor nobis ad meliores artes, de ſuauiſſimo hiſtoriarum fructu modò cœperat diſſerere. nos verò, inquit Varicius, & ſermo ipſe infinita voluptate adfeciſſet, atq; id ipſum quòd ſaltẽ iam venimus delectat, neque enim ſpero ob noſtram præſentiam intercludet venam huius ſuauitatis vberrimus hic omnium doctrinarum fons. ibi hilariore vultu Huyſmánus, modeſtiùs, inquit, de modeſto mi Varici; nec plus pignoris (quod aiunt) depone quàm mea pecunia poſſit redimi. ego vberrimus omnium doctrinarum fons? qui ſalubribus doctrinæ melioris aquis tinxi

Simulatio deteſtandum vitium.

modò animum, non merſi. Quod ſentio, ſubiecit Varicius, dico; nec aliud cluſum in pectore,

aliud

aliud promptum habeo in lingua. Quinimo cum Phœbo illo vatum *Homer.*

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν,
Ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.
Hoſtis enim mihi ille perinde ac inferorũ portæ,
Qui aliud quidem celat in præcordijs, aliud verò dicit.

Laudo,inquit Huyſmannus. & animum iſtum omnium veſtrum tam promptum erga me,tam propenſum,niſi mutuo amem,& ſicubi poſſum dirigam ad candidam illam virtutis ac eruditionis calcem, durus ſim ac inhumanus. excipiens Vosbergius,nunquam deerit,inquit, dirigendi nos ac corrigendi in lubrico hoc ætatis facultas, aut occaſio,velim non ocium. At iam filum ſermonis cum Bernartio noſtro modò cœpti, pertexe,quæſo,ſi vacat. Semper vaco, inquit Huyſmannus,ingeniis quibus diſcere vacat. Sed vóſne valde vacui iam? Quid ita? inquit Verannemanus. Quia, inquit,cum omnium optimarum artium,tum præcipuè hiſtoriæ hoſtibus parata nobis erat conflictatio, quam longiorem futuram proſpicio, nec ordiendam ſi abrumpẽdam. alacriter Verannemanus, ô fauſtum ac felicem hunc diem,quo inſperanti mihi, ſed valde optanti accidit vt in iſtum ſermonem delaberemini.perge,quæſo, mi Huyſmanne,& aduerſus noctuas has quæ ad tenebroſa acriter oculos pandunt, claudunt ad veræ prudentiæ lucem; ſplendidum doctrinæ tuæ radium emitte, corruent.& cùm non diem tantùm ſereniorem,ſed nec vmbram ſubilluſtrem ſatis ferant, non ſuſtinebunt vel momẽto hunc Phœbum. Nobis *Iuuẽtuti monitis opus.*

ſermo quamlibet lõgus adeò non erit ingratus, vt quo lõgior fuerit oratio tua,eo maiorẽ nobis voluptatem pariet. Huyſmannus ſubridẽs, macte animo,inquit,adoleſcẽs,& perge amare virtutem ac doctrinam; quę ſicuti mihi iamdiu carum, ita aliquando te efficiẽt clarum. ego ſpondeo.quoniam vt nautis in tempeſtate ortus Geminorum ſpem magnam præbet trãquillitatis, ſic mihi amor ac ardor diſcendi in adoleſcente non leue futuræ virtutis argumentum. voto veſtro ſatisfiet, lubenſque aperiam cogitationes meas, ſi illud à vobis antè impetrauero, vt vos quoque ſermonem hunc noſtrum adiuuetis, & ſi quid nos lateat aut prętereat ſuppleatis. Excipiens Varicius, quis noſtrum, inquit, tam inſignitè impudens, aut tam prodigioſè ſtultus, vt quod te lateat aut fugit, ſe ſcire exiſtimet? ſi quid tamen erit quod intelligemus te non tam omiſiſſe quàm reliquiſſe, vſque adeò non defuturum me mihi,vt non quieſcam interrogando,monendo, donec à capite ad vſque calcem (vt ſic dicam) cuncta ediſſeras, liberaliter recipio. & ego ſpõdeo, ſubiecit Verannemanus: & ego reſpõdeo, inquit Vosbergius: & ego reſtipulor, inquam. Hæc cõſpiratio quædam eſt, inquit Huyſmannus. ſed an tam rigidi futuri, vt Bernartio noſtro aliã in hac ſcena perſonã adſignari abnuatis? quam? inquam. Ne boni viri ſeſe inauditos conquerantur damnatos, inquit, & maiorem voluptatem habeat hæc noſtra ſermocinatio, oblitus te Bernartiũ pro illis hodie poſtulabis. placet conditio, inquit Verannemanus.& nobis, ſubiecere Varicius & Vosbergius.

Amor diſcẽdi nota bonæ indolis.

incle-

inclementi vultu ego, Homines infidi, inquio, ſiccine dum vobis bene ſit, commilitonem deſeritis? apagite, non ita me ludit dulcis illa philautia, vt nunquam ipſe congrediar mecum, nunquam, quod Flaccus inquit, de tergo in pectus manticam reuocem. nec ita mihi inexploratus ſum, vt vobis plus de me credendum ſtatuens quàm ipſi mihi, vel in cauſſa etiam optima cum Huyſmanno noſtro me componam & velut includam in eodem campo, nedū in iſta: quæ vt vel primorem ſpeciem veri habeat, non Cicero ipſe patronus, artis ingenijque adſcitis omnibus ſubſidijs, queat efficere. Nihil cauſſæ eſt cur hac ratione hanc prouinciam detractes, inquit Varicius ſubridens; dicitur enim hodie Iuriſconſultis noſtris familiare, perditam litem, omnique iuris ſubſidio deſtitutam, ſuperiorem efficere, & pro materia obiecta omnes leges interpretari. & maximè nobis in votis eſt illud artificium de tuo penu depromptum propiùs intueri, & an bonæ ſpei ſis cognoſcere. Etiam rides, & vulneri vulnus addis? inquio. pectus tuū roga, non dicet id eſſe pro vetere illo & fido inter nos amore. Huyſmannus moto leuiter capite, & manum mihi blandè premens, nec ſine riſu; Pro eo quantum me amas, & quantum te amari à me ſcis, ſine hoc impetrē à te hodie mi Bernarti, inquit. Hæc quidem vis eſt, inquā ego. Cæſar videor, ita hac arcta obteſtatione iugulum petit iſte Brutus. age fiat; & omnia te non ſolùm à Bernartio impetrare, ſed imperare poſſe vt voles, cùm voles, agnoſce. Deus dirigat ac ducat. Sed ego vos priùs, niſi abnuitis, ad hortum

Suo pede quiſque ſe metiri debet.

noſtrum, inquit Huyſmannus, vbi grata in hoc æſtu & frigerans aura. placet inquam;& cum dicto iuimus. Et ecce, obuiam nobis factus eſt Fredericus Lixbonnæus, cādidiſſimis moribus adoleſcens: quem ego vnum ex illis aliquando augurор fuiſſe futurum qui nobis antiquam illam ſcribendi laudem videntur poſſe reſtituere. Sed heu vitæ conditionē! ferè in diebus paucis quibus hæc acta ſunt, in ipſo adoleſcentiæ flore interijt fertiliſſimi ſoli huius ſpes! perijt venæ tam diuitis expectatio! ego orbatus ſum amico quo neminem ego, nemo me fideliùs amauit! Sed quid? viſum fuit optimo Deo, ad optimam citò vitam traducere optimum hunc iuuenem. non miſcebo igitur, ſtulti vulgi more, querelas mi amice, ſed gratulabor tibi potiùs, &, quod vnicū ſupereſt, erit tua effigies ſemper hiſce oculis infixa;& amorem quem illuſtri virtuti tuæ debeo, etiam in contemplatione mortui conſeruabo. cuius adfectus quaſi pignus primum hoc ingenioli mei habe monumentum. Gratulatione ac ſalute (vt redeamus vnde deflexims) à nobis excipitur: præcipuè à me, qui hilariore vultu nō deſeret ſuum Oreſtē;hic meus Pylades inquam. Sol citius ſuum curſum, inquit ille, quàm ego te. ſed quis hic ſermo? miſerearis ſi ſcias inquā. Huyſmanno noſtro imperante barbaris contra litteratos, elegantioris doctrinæ hoſtibus contra ſacros Muſarum ſacerdotes patrocinari, ac denique ipſe cōtra meipſum ſtare cogor. tu ferentarius mihi amicus eris, & iuuabis in parte? ego? inquit: ignoſce amice, venio vt barbararum aliquot opinionū nubes à me pellat (Huyſmannū deſigna-

F. Lixbonnæus inſigni indole iuuenis.

Magnæ ſpei.

Præceps eius obitus.

deſignabat) hic ſol, non vt barbaris patrociner.
me miſerum, inquam ego, vbi fides ſi tu nos de-
ſeris? nunquid verè illud antiquum poſſum, * Ω *O amici, ne
φίλοι, ὐδεὶς φίλος? ego te deſeram? inquit. ah! mo amicus. Ariſt. apud
pectus mihi ſcindunt hæc tua verba. ſi quid poſ- Laert.
ſum, nō pete, ſed iube. ſed quid? quod de ſe apud
Principem poëtarum callidi viri filius, de me Telem. apud
profiteor, Hom.

* *Λευγαλέοι τ᾽ ἐσόμεσθα, καὶ ὐ δεδαηκότες ἀλκήν.* * Infirmi ſumus, & non

& quod de nonnullis alter poeta, nunquid iure docti depu-
de te poſſum? gnare.

——— *quærunt* Lucanus
Cum qua gente cadant. lib. VIII.

Non ipſe velles me velle, ſi oſtium pectoris re-
moto repagulo adfectuum rationi pateat. Meo
remigio, inquam ego, res gerenda erit video. ſed
profectò cauete ne quod ille inquit, *Grauiſſimi* Port. Lat.
ſint morſus irritatæ neceſſitatis. mouit hoc dictum apud Sal.
omnibus riſum, & cum eo ad hortum iuimus,
iniuimus, aſſedimus, Huyſmannus paulum me-
ditatus ſic infit:

Inter omnes omnium ætatum ſapientes viros
conueniſſe video, nihil vnquam præclarius eſſe
quàm vt ita ſeſe quiſq; inſtituat, ne vitam ſilen-
tio tranſigens, fruſtra in hunc mundum veniſſe Chriſtiani
videatur. nec ad propriam modò vtilitatē actio- hominis officium.
nes ſuas dirigat, ſed animi motus omnes rectæ
rationis imperio ſedatos, omnemque curam ac
cogitationem ad Dei gloriam & publicum Rei- In Deum
publicæ cōferat commodum. id vnicè ſtudens, pietas.
ne nulla ſui memoria poſt mortē relicta, quaſi
nunquam natus diſcedat: ſed potius re aliqua
præclara vtiliq; ad poſteros trāſmiſſa, non vixiſ-

ſe ſolùm, ſed nec ſibi nec aliis inutilis vixiſſe teſtetur. Neque enim ad ſummam dignitatem ſatis eſt animos noſtros rectè componere,& familiæ noſtræ proſpicere: ſed cùm homo nō ſibi ſolùm natus ſit, verùm ortus eius pars (vt ſcribit magnus ille Plato) à patria, pars à parentibus, pars ab amicis vindicetur, is videtur munus ſibi delegatum omni ex parte præſtitiſſe, cuius ſtudium cùm in diuina gloria propugnanda, tum in communi hac hominum ſocietate tuenda magnis in rebus perſpectum fuerit. Is denique (prudentiſſimo hiſtorico ſuffragante) viuere & frui anima videtur,qui alicui negotio intentus, præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit. Ceterùm cùm multæ vitæ conditiones arteſq; innumerabiles exiſtant, ad communis vitæ cultum cùm vtiles tum neceſſariæ,neq; poſſit vnus homo omnibus illis inſeruire; videtur in animis hominum fingendis ſummam huius rei rationem Deus habuiſſe,dum eorum munera variè diſtinxit: & alios quidem tanquam Principes ac rectores reliquis præeſſe, leges & iuſſa ponere, pacem,bella moderari; alios ſapiētia ac prudentia conſpicuos,ac rerum hominumque peritos pace ſiue bello, ſalutarium monitorum ac conſiliorum face prælucere imperanti; alios inuicto robore firmatos arma tractare,imperata ſtrenuè perficere; alios Theologiæ, Iuris, Philoſophiæ ſcientia illuſtres; alios aliis artibus inſtructos, aliiſque muneribus præfectos voluit:ita vt dum quiſque præſtitiſſet operā ſuam,& in commune contuliſſet, ipſe viciſſim propriam vitæ conditionem,quam ſuis tantùm viribus non potuiſſet,

In parentes. *In Rempub. caritas.* *Sal. coniur. Cat.* *Diſtinctio munerū diuino conſilio.* *Principes.* *Conſiliarij.* *Milites.* *Theologi. Iuriſconſulti. Philoſophi.*

ſet, aliena opera & auxilio ſuſtentaret. hoc verò vitæ, munerum, artium ac ingeniorum diſcrimen ad duo ſumma genera viri ſapientiſſimi redegerunt: quorum vnum ad cognitionem ac contemplationem refertur, quod Græci *Theoricen*; alterum ad actionem dirigitur, quod ijdem *Practicen* vocant. *Omnis ſiquidem virtus* (ait Romanus Sapiens) *in duas partes diuiditur, in contemplationem veri & actionem.* vtrum autem horum generum alteri anteponendũ ſit, diu inter eruditos certamen tam anceps fuit, vt vtraque pars adhuc hodie probabili ratione defendatur. Princeps etenim Philoſophus ceteriq́ue Peripateticorum Duces Theoricẽ vt pulchriorem ac diuiniorem præferunt, & vitæ degẽdæ rationem quietam in contemplatione & cognitione rerum poſitam ſapiente digniſſimã iudicant. Zeno verò & reliqui Stoicorum præfecti practicen anteponunt; noſq́ue in adminiſtrandis rebus aſſiduos eſſe oportere contendunt. Quæ ſanè quæſtio ampliore & exactiore diſcuſſione non eſt profectò indigna. ſed ne extra limitem ire (quod dicitur) extraq; oleas velle videar, hoc ſolum iam dicam: quodcumque ex his duobus vitæ generibus amplexus quis fuerit, poſſe eum & diuinam gloriã propugnare, & nominis immortalitatẽ ſibi parere, & quàm maximè (quod vnicuiq; propoſitum eſſe debere diximus) humano generi prodeſſe. Etenim cũ Theoricen non ad inanem contemplationẽ reſtringamus, neque cuiquam id conſilij damus, vt ſe deſidiæ atque ignauiæ tradat; ſed tantùm, cùm ſicuti vlcera quædam contactu nocent, ſic vitia ſerpunt, &

Vitæ ciuilis diuiſio.

Sen. epiſt. XCIIII.

Quæſtio inter eruditos.

Ariſt. Eth. X cap. VII.

De vitæ generibus.

Seneca de beat. vit. cap. XXX.

Nondum deciſa.

Theorices finis.

& in proximum quemque tranſiliunt, vt ſecedat; ne eum improborum, quæ maxima multitudo eſt, exempla tranſuerſum agant: & omiſſa rerum externarũ omnium cura, cogitationem deducat à corpore, multumq́; cum anima conditoris vniuerſi imagine verſetur, mentemq́ue in æthera intendat: & ſic theologiæ artium reginæ arcana, ſiue ſacri Iuris ſtudij decreta, ſiue Medecinæ aut moralis Philoſophiæ aliarumq́; liberalium artium præcepta in otio ſcrutetur, vt prodeſſe interim velit & ſingulis & vniuerſis, ingenio, voce, conſilio, ſcriptis. quilibet facilè perſpicit maius commodum ex huiuſmodi hominum otio, quàm ex plurimorum negotiis Reipublicæ venturum. Neque enim (vt verè ac altè ſcribit Seneca) is ſolus Reipublicæ prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloque cenſet: ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum præceptorum inopia virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamq́ue curſu ruentes prenſat ac retrahit, & ſi nihil aliud certè moratur, in priuato publicum negotiũ agit. An ille plus præſtat, qui inter peregrinos ac ciues aut vrbanus prætor præeuntibus aſſeſſoribus tria verba pronũtiat, quàm qui docet quid ſit iuſtitia, quid pietas, quid ſapientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quantum bonum ſit bona conſcientia? Quo poſito; eſt enim ita perſpicuũ vt probationis non indigeat; reliquum eſt iam inquirere vias quibus ſiue Theoricen, ſiue practicen quis eligat, ad metam perueniat, & munere ſuo probè fungi ac defungi poſſit. *Studia*

De Tranq. animi, cap. III.

Vtilitas & fructus.

Preceptis opus in omni vitæ ſtatu.

ſiquidem

ſiquidem nihil proſunt perueniendi aliquò, niſi (maximo Oratorum teſte) *illud quod eò quò intendas, ferat deducátque, cognoris*. Sin autem (vt ad quæſtionis noſtræ caput tandem perueniamus) planũ ad hunc finem iter eſſe dixero facta prioris æui ſcire; nemo puto refragabitur. ſed in eo non ſubſiſtam: verũ vſque adeò ſiue Theorico ſiue practico hiſtoriarum cognitioné neceſſariam exiſtimo, vt mentem, cui deeſt hoc lumen, non magis aptam eſſe ad aliquid præclarè contemplandum, aut agendum, quàm corpus ſine mente fidenter aſſeram; & argumentis tam certis id me probaturum, vt cõtrà quiſquis ſentiat, nihil ſentiat, nedum ſperem, ſed planè confidam. Reſpexit me hoc dicto Lixbonnæus, &, vt video, inquit, res veſtrę in extrema tegula ſtát. Nihil eſt, inquam ego: adeóne Bernartiũ ignauum putas vt commoueri πανικοῖς eum arbitrere? & audita tuba terminali ad populũ velle prouocare? priùs omnia periclitabor, & quanta maximè potero contentione reſiſtam. certè vt ſine ſudore ac ſanguine (quod aiunt) lauream illi deportare permittã, non Paterpatratus impetrauerit & omnes fetiales. tu perge Huyſmanne, & ſi potes exſolue promiſſum. exſoluã, inquit Huyſmanus, & quidem in aſpero & probo. volẽtes interim attentóſque vos mihi date, & quod in ſacris acclamari olim ſolitum, hoc agite. ego diſtinctionũ vobis lumen præferam; certoſque mihi terminos conſtituã, vt & mihi ſit propoſitum de quo dicam, & Bernartius habeat expoſita ad quæ reſpondeat. Oſtendam primùm cùm actionis iter ingredientium pars adhuc,

Cic. 1. de Orat.

Cardo totius futuræ diſputationis.

Quid hiſtoria practicæ conferat.

huc, vt in formula Senatoria eſt, maior eſſe videtur, quid conferat hiſtoria practicæ; deinde quid Theoricæ adiumenti ex ea accedat, explicabo. Et ne longiùs euager, cùm nulla vitæ pars (Tullio verè traditum) neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas vacare officio poteſt; in eoque colendo ſita vitę eſt omnis honeſtas, & in negligendo turpitudo; nemo vnquam negauerit, niſi idem rationem omnem exuat ac ſenſum, anteaquam ad agendum veniatur, deliberatione rectoque iudicio opus eſſe, quo officium hoc diſcernas ac cognoſcas. At nulla deliberatio, nullum rectum iudicium ſine Prudentia. quam viuendi artem eſſe, perinde ac medicinam valetudinis, nauigationis gubernationem, Romani eloquij flos aſſerit. ſolam præire ac ducere ad rectè faciendũ, diuinus Plato ſcribit. ſiderũ vim prǽuertere fatetur Hipparchus: qui tamẽ in ſtulta illa ſecta eſt, quæ actiones omnes euentuſq; à ſtellarum motu pendere exiſtimat. Optimum eſſe quod nobis habere contingit, Iſocrates voluit. Bion verò Boryſthenites tantum aliis omnibus virtutibus præſtantiorẽ credit, quantum viſus aliis ſenſibus. cui adeò plena cera ſubſcribit Stoicorum porticus tibicen haud infirmus Apollophanes, vt Prudentiam ſolam virtutem eſſe putaret, quæ vel in ſe alias cunctas contineret, vel cui reliquæ omnes famularẽtur. Neque planè abhorret ab hac ſentẽtia Philoſophorum columen: licet enim Socratem in eo reprehendat, quòd ille omnes virtutes prudentias eſſe dicebat,

Cic. 1. Offic.

Officium in omni re diſcernendum.

Id diſcerni Prudentia

Cic. v. de fin.

Plat. in Menone.

Iſocr. ad Demonic.

Prudentiæ laus.

Ariſt. vi. Eth. capit. xiii.

cebat, probat tamen & laudat quàm maximè, quòd idem crederet nullam virtutem ſine Prudentia eſſe poſſe. denique, vt vno verbo dicam, hæc illa eſt quam verus Sapiens vero hoc elogio commẽdat: *Beatus homo qui inuenit Sapientiam, & qui affluit Prudentia. melior eſt acquiſitio eius negociatione auri & argenti: primi & puriſſimi fructus eius. pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* hæc ille, & rectè profectò. etenim cùm Prudẽtia ſit, vt eam definit Princeps Philoſophus, ἕξιν μετὰ λόγου ἀληθῆ πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά: *Habitus cum ratione vera coniunctus ad agendum idoneus, in iis occupatus quæ homini bona ac mala ſunt*: ſiue, vt ſanctus ac magnus Antiſtes, *Appetendarum ac fugiendarum rerum ſcientia*: ſiue paulo fuſiùs noſtris verbis, *Habitus lumen quoddam animo præferens, in omni conatu naturæ quid fugiendum ac ſequendum ſit, in omni ſtudio & actione virtutis modum ordinemq́ præſcribens*: quis adeò cæcutit vt non videat, quemadmodum ſine mixtura lucis nihil ſplẽdidum, ita ſine prudentia nihil rectũ? hæc virtutes omnes gloriam pariẽtes ita gubernat, vt nihil verear affirmare & Iuſtitiam eſſe crudelem, & temperantiam ſordidam, & conſtantiam imbecillem, & ſeueritatem diſſolutam, & clemẽtiam rigidam, & doctrinam ſtupidam, & omnẽ virtutem denique vitioſam, niſi Prudentiæ vel ſale condiatur vel lumine colluſtretur. fortitudo certè adeò ſine ea eſt inutilis, vt fidenter Iſocrates aſſerat, *ῥώμη δὲ μετὰ μὲν φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε. hæc quæ adoleſcen-

Prouer. cap. III.

Ariſt. Eth. VI. cap. V.

Auguſt. lib. I de lib. arbit.

Quid prudentia.

Virtus ſine prudentia haud recta.

Ad Demon.

** Fortitudo verò cum prudentia quidẽ*

iuuat, ſine hac verò magis habentes leſit.

leſcentum, quæ conſtantis ætatis, quæ ſenũ officia ſint, quid domi, quid militiæ, quid ab iis qui cũ imperio verſantur præſtari debeat, quid inter parentes ac liberos, quid inter virum ac vxorem, inter fratres, cognatos, amicos obſeruari par ſit, ſola præſcribit. hæc curſum rectum in vndoſo hoc vitæ mari tenere, in ſecunda fortuna non abripi licentiæ ventis, ſed ſemper meminiſſe quòd *omnium rerum* (vt Terentius inquit) *viciſſitudo eſt*, &, vt Tragicus ſcribit,

Prudentia norma totius vitæ.

Teren. Eun.

Sen. Trag. Thy.

Nemo tam diuos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſſit ſibi polliceri.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

in aduerſa non opprimi impatientiæ fluctibus, ſed prudẽter credere Philoſopho rectè monenti, *Optimum eſt pati quod emendare non poſſis, & deum, quo auctore cuncta proueniunt, ſine murmuratione comitari*, ſola docet. hæc, vt ille inquit, accelerat tarda, perplexa expedit, dura mollit, exæquat ardua, ſcit quid quaque via aggredi debeat, & citò ſingula & diſtincta cuncta videt. fallere non vult, falli non poteſt. Si recta portum tenere nequeat, non periculosè cum tempeſtate pugnat, ſed potiùs mutata velificatione eum aſſequi conatur. probè intellegens prudenti non ſemper eundum vno gradu, ſed vna via, honeſti videlicet & virtutis. non mutat vnquam animum, ſed potiùs aptat; imbibit enim ſeriò illud Terentij:

Sen. epiſt. cvii.

Autor de iv virt.

Omnium actionum trutina.

Teren. Adel.

Ita vita eſt hominis, quaſi cùm ludas teſſeris,
Si illud, quod eſt maximè opus iactu, non cadit,
Illud, quod cecidit fortè, id arte vt corrigas.

&

& Marco Tullió quoque præcoptore didicit, non ſemper eaſdem ſententias ab iiſdem, ſed quaſcumque Reipublicę ſtatus, inclinatio temporum, ratio concordiæ poſtularet, eſſe defendendas: neq; incõſtantis eſſe ſententiã tanquam aliquod nauigium atque curſum ex Reipublicæ tempeſtate moderari, modò ſalutis portum petat, etſi non eo curſu quem tu aliquando probaſti. hæc denique vna fortunæ cominus it obuiam, & arcta innectit vincula: imo reuera dabit vt vſurpare poſſis illud Appij, *fabrum te eſſe tuæ fortunæ*. ſiquidẽ, vt rectè inquit Poeta Græcus,

Pro Planc.

ApudSaluſt. in orat. ad Cæſarem.

* ἂν εὖ φρονῇς, τὰ πάντα γ' εὐδαίμον ἔση.

& Latinus Iuuenalis,

Nullum numen abeſt, ſi ſit Prudentia.

**Menander. Si bene prudens ſis, in omnibus fortunatus eris.*

Sat. x.

Quæ cùm Huyſmannus diceret, ego Vosbergio mihi aſſidenti, quò ſpectant, inquio, hęc tam longè petita principia? inſidias profectò metuo, & verba hæc ſuſpicio vt ſingulos hoſtes. pugnã modò iocularem & mella hiſtoriarum expectaui: at ſi quid poſſum proſpicere, furtum dilabetur ad tetricam aliquam Philoſophorũ de virtutibus diſputationẽ. Audiit Huyſmannus, itaque largiore riſu, inſidias, inquit, Bernarti metuis? iam incidiſti. in carceribus nos hærere exiſtimas? ad calcem ferè peruenimus. etenim hoc conſtituto fieri non poſſe vt quiſquam ſine Prudentia rectè agat: iam ſimul etiam conceſſum eſt quod quærebamus, non magis ſine hiſtoriarum cognitione actiones rite poſſe dirigi, quàm nauis ſine reſpectu ad cynoſuram gubernari. Hiſtoria etenim ſola Prudẽtiæ mater eſt. Hiſtoria vna illa radix qua altitudo humanæ Pruden-

Hiſtoria Prudẽtiã gignit.

tiæ nixa. ſola illa Helena quæ illud legitimum Nepenthes propinet, in quo non obliuio curarum & dolorum, ſed depreſſio vulgariũ opinionum & errorum. ſolus is prudens habetur qui actiones ſuas dirigit ad vnius hiſtoriæ trutinam, & hanc in omnibus vitæ labyrinthis ſequitur vt Theſeium filum. abnuitis? teſtes citare poſſum omnia omnium laudandarum artium lumina, & quicquid vſquam eſt eruditorũ: ſed longum eſſet. longum? imò ſuperuacaneum, cùm adeò notum prouocatumque ſit vt demonſtratione non egeat quin ex ſolo conſtanti euentu rerum ſit Prudentia hæc noſtra moralis. moralis dico, ne quis tacitus me calumnietur, quaſi neſciam Chriſtiani hominis Prudẽtiam fide (largiantur mihi hanc vocem Chriſtiano & ignoſcãt, ſi non dicam perſuaſionis, Ciceroniani) ſpe & caritate perfici. non id me latet: nec tam matula ego, vt ex hiſtoriarum riuulis puriſſimum hunc liquorem hauriendum aſſeram. μὴ γένοιτο. Sed cùm in homine qui Chriſti ſequitur veſtigia, ſicuti duæ ſunt partes, anima & corpus; duplex materia, cœleſtis & terrena; ita duo nitent homines, Chriſtianus & ciuilis: veluti ad duo etiã nati ſumus, cælum & terram: cælum imprimis: ſed nec terra negligenda quamdiu viuimus in iſta: lacertos meos expendens, artus arteſq; librans, è media Theologia altam hanc Prudẽtiæ partem tantum pono, non euoluo. ſanctum ſolummodo à viro ſancto dictum mentibus veſtris imprimo: *Qui ſine Saluatore ſalutem vult habere, & ſine vera ſapientia exiſtimat ſe prudentem fieri poſſe, non ſanus, ſed æger; non prudens, ſed ſtultus in ægritu-*

Quatenus politico ſeruit.

Nam duplex ea.

Chriſtiana & ciuilis.

Vtraque neceſſaria.

De Chriſtiana propriè differunt Theologi.

Auguſt. lib. XXVI. de Ciuit. Dei.

ægritudine adſidua laborabit, & in ciuitate noxia demens ac ſtultus permanebit. hæc ille. vos credite. ego alteram Prudentiæ partem, quæ propriè ad noſtram Spartá, inquiro; & diſtinctionis hoc radio prælucente, eum cum Tullio ſolum prudentem adſero, qui conſequentia cernit, principia & cauſſas rerum videt, earumque progreſſus & quaſi acceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat & rebus præſentibus adiungit, atque annectit futuras At profectò hanc connectendi, diuidendi, prouidendi ſcientiam adeò homini non infudit natura, vt viri doctiſſimi in adoleſcente eam reperiri non poſſe, communi calculo tradant. Prudētiæ oculum audite, & rationem intellegite. *σημεῖον δ' ἐςὶ τοῦ εἰρημένου καὶ δ' ὅτι γεωμετρικοὶ μὲν νέοι καὶ μαθηματικοὶ γινονται, καὶ σοφοὶ τὰ τοιαῦτα. φρόνιμος δ' οὐ δοκεῖ γίνεσθαι. ἄιτιον δ' ὅτι καὶ τῶν καθ' ἕκαςά ἐςιν ἡ φρόνησις, ἁ γίνεται γνώριμα ἐξ ἐμπειρίας. νέος δ' ἔμπειρος ὀυχ ἐςι. πλῆθος γὰρ χρόνου ποιήσει τὴν ἐμπειριάν. Cuius rei argumentū hoc eſt, quòd iuuenes & Geometrici & Mathematici, & talibus diſciplinis eruditi fiunt, prudentes non fiunt. Cauſſa hæc eſt, quòd in rebus ſingularibus prudentia vertitur, quarum cognitio vſu comparatur. Adoleſcens autem vſum rerum non habet, quippe quę temporis longinquitas ſit allatura.* Quomodo temporis longinquitas, mi Ariſtoteles, ſola per ſe? apagite, non hæc Philoſophi mens. nam, vt recte inquit Menander,

* *οὐκ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν.*

Quid ergo? Plautus meus reſpondet:

Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.

Quomodo ingenio? varios ac mutabiles, fragiles

Politicam nos inueſtigamus.

Cic. 1. Offic.

Ariſt. Eth. VI. cap. VIII.

Prudentia ciuilis in adoleſcentem nō cadit.

Nec ætas ſola eam adfert.

**Cani capilli haud afferunt prudentiam.*

Plaut. Trin.

les ac momentaneos humanarum rerum fluxus diu multumq; obſeruaſſe, quid, quare, quomodo euenire ſoleat cognouiſſe: deniq; quid, quare, quomodo appetendum, fugiendúmue intellexiſſe: tanquam in ſpeculum in vitas omnium inſpexiſſe, atque ex aliis ſumpſiſſe exemplum: atque inde non quod ante pedes modò, ſed etiā illa quæ futura ſunt proſpexiſſe. Quî fiet? peregrinando? mores ritúſque gentium adnotando? aut lõgo rerum vſu dum in hominum conſuetudine ac ſocietate verſamur, quæ ſingula ex qualibet re vel à nobis, vel ab aliis, facta euenire ſolent, obſeruando? non planè abnuo; nec ita peregrinationem vſumq; deprimo, vt nihil roboris ad comparãdam Prudentiam concedam. ſcio etenim & priſco & noſtro æuo hanc ob cauſſam viros illuſtres peregrinatos. noui Patrē Muſarum Vlyſſæam prudentiam peregrinationi tribuere; nec aliam eius cauſſam adſignare, quàm quòd ille πολύτροπος. Scio Platonem, Pythagoram, Democritum quàm plurimas perluſtraſſe ciuitates. non me latet Solonem, Zeleucum, Charundam, Philolaum idem feciſſe priuſquam περὶ τῆς πολιτείας quicquã ſcribere aggreſſi ſunt. didici ex Ariſtotele Lycurgum omiſſa Charilli regis tutela peregre profectum, eaque ad Rempublicam rectè adminiſtrandam percepiſſe, quę ſuis tradita ciuibus in cauſſa fuere vt Lacedæmonij vnius nec vnquam mutatis legibus diutiſſime vixerint. audio etiã Plinium ſcribentē, *Experimētis optimè creditur*. Sed quid? ſi rem ſuo pondere pēdas, & ad amuſſim & perpendiculũ examines, non planum, non tritum ad

Sed diligens euentuum obſeruatio.

Obſeruari poſſe euentus vſu & peregrinatione.

Homer. Odyſſ. a.

Ariſt. Pol. II

Plin lib. XVII.

Sed difficulter.

ad Prudentiam hoc iter mecum fatebere. ſcintillulas quidẽ aliquas ex hoc ſilice te poſſe excutere, nunquam purum ac clarum Prudentiæ ignem, facile videbis: cùm ſcias in anguſto vitæ huius circo citius ferè ad metam nos peruenire, quàm nedum vti, ſed ne quidem planè acquirere, hac via, liceat Prudẽtiam hanc ciuilẽ. Quid ergo facimus? Regium & amplum iter hiſtoriarum inite, hoc in candida illa Prudẽtiæ calce ſine errore nedum maturiùs multo, ſed quaſi Ladæ curſu vos ſiſtet. Hiſtoria mentem pondere & quaſi ſaburra Prudẽtiæ ſtabiliet, ne vt nauis vacua in hoc vitæ mari circumagatur omni vento. Hæc non vnius regionis aut pluriũ etiam limitibus circumſcripta, vti peregrinatio; non vnius ætatis anguſtiis depreſſa, quemadmodum vſus; ſed omnium populorum omnis æui res geſtas velut in ſpeculo oſtendet. Hæc rerum expetendarum ac fugiendarum certiſſima præcepta, bonorum facinorum præmia, malorum pœnas, Reipublicæ gubernandæ normã, diſciplinæ militaris conſeruandæ modum non verbis tantùm, ſed omnium gẽtium exemplis tradet. hæc maximorum imperiorũ auſpicia, progreſſus, finem, malorum ſeu publicorum ſeu priuatorum cauſſas, omnium magiſtratuum ab ipſo auſpicali die in ſubditorum beniuolentia concilianda induſtriam, in ſeditione ſedãda ſolertiam, in hoſte profligando ſtratagemata, de ſummis denique rebus prouida conſilia, imò, quod maximum eſt, eorundem euentus, omnigena denique exempla ad vſum qualibet in re commodiſſimè aptanda ſic exprimet, vt nullus

Obuitæ breuitatem.

Hiſtoria itaque propoſita.

Quia magis obuia.

Diffuſa latius.

Omnigenis exemplis plena.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sine periculo inſtituit.

Apelles corporis effigiem in tabula repræſentare poſſet euidentiùs. hæc dabit vt in Care (quod habet vetus verbum) periculũ facias, & ex aliorum tam ſecundis quàm aduerſis rebus, te periculorum expertem inſtituet: planè vt fidenter queas iactare, *Βλέπων πεπαίδευμαι τὰ τῶν ἄλλων κακά.

** Aliena ſpectans doctus euaſi mala.*

Plura ad Prudentiam confert, citius ducit.

Ad hiſtoriam itaque, qui prudẽs eſſe vis, propera. hęc multo certiùs & citius prudentem te efficiet, quàm vlla quamuis frequens peregrinatio aut vita lõgiſſima. hæſitatis adhuc, & extra fidem hanc adſeuerationem creditis? quaſi de cella promptas (quod ille ait) nõ deſpicabiles nec abrogandæ fidei proferemus autoritates.

Probari id ſententiis omnium doctorum.

Plat. in Timeo.

** ô Solon, ſemper Græci pueri eſtis, nec Græcus vllus ſenex.*

Prudẽs ille Senex Ægyptius agmen mihi ducat, qui Græcos nulla vetuſtatis cognitione, nulla denique rerum præteritarum memoria excultos videns, *ὦ σόλων (apud Platonem inquit) ἕλλενες ἀεὶ παῖδες ἐςὲ, γερὼν δὲ ἕλλεν οὐκ ἔςιν. ſubſcribit lactea Romani ſermonis vbertas: Nihil earum rerum ſcire (inquiens) quæ anteaquam naſcereris factæ ſunt, hoc eſt ſemper eſſe puerum. cognoſcere verò res geſtas memoriæ veteris, ordinem tenere antiquitatis, exemplorumq́; omnium habere notitiam, decorum, laudabile, ac propè diuinum eſt. Rectè profectò & ſapiẽter. vt enim pueros videmus ob ingenij ac mentis imbecillitatem bonum à malo non poſſe diſcernere, ſic illi qui nulla ſuperioris æui quaſi ſenili ac cana ſcientia animos imbutos habent, quid ſibi, quid Reipublicę, quid familiæ ſuæ ſalutare, nunquam rite poterunt conſtituere. Accedit doctorum ille doctor, qui ſicuti alibi vtiliſſimam ad publicas deliberationes adſerit

hiſtoriam; ita Alexandro Magno autor fuiſſe traditur, vt prædeceſſorum acta aſſiduè reuolueret: Annales patrum diſcute (inquiens) vnde optima poteris exempla colligere, quia acta prę- terita dant certum documentum in futuris. Nec vtile hoc præceptoris ſui præceptum neglexit aut contempſit Alexander. quinimo (Plutarcho teſte) dum eò vſque in Aſia progreſſus eſſet, vt nullos libros inueniret, non contentus Homeri Iliade, quam ne dormiens quidem demittebat, ex ipſa Gręcia nonnullos & imprimis hiſtorias Philiſti ſibi mitti Harpalo mandauit. Quod Alexandri factum cupidè imitati ſunt ſelecti quique duces. magnus certè ille Cæſar & verè Auguſtus, in euoluendis vtriuſq; linguę autoribus (vt Tranquilli verbis vtar) nihil æquè ſectabatur, quàm præcepta & exempla publicè vel priuatim ſalubria: eaq; ad verbū excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum prouinciarumque rectores, aut ad vrbis Magiſtratus plerumque mittebat: prout quique monitione indigerent. Magnanimum quoq; Brutum, qui in campis Philippicis pro patria & cum patria obijt, Hiſtoriam Polybij legendo propè triuiſſe, &, quod admiratione dignum eſt, in ipſo ardore belli ciuilis, in ipſis Pōpeij caſtris paulo ante Pharſalicam pugnam, eandem illam hiſtoriam, quo memoriæ conſuleret, in compēdium contraxiſſe conſtat. Et clarus ille Princeps, qui, cùm de eius electione ageretur, à Senatu populoque Romano elogiū illud meruit, *Quis meliùs quàm litteratus imperat?* hiſtoricos ita amauit, vt Cornelij Taciti Annales quotannis decies deſcribi,

Ariſt. Rhet. cap. v.

Plu. in Alex.

Exemplis Principum.

Suet. Octau. cap. LXXXIX.

Fl. Vopiſ. in Vit. Tac.

in omnibus Bibliothecis lociſque publicis adſeruari edicto præceperit. Imperator Alexander verò nunquam de graui aliqua re deliberauit, quin hiſtoriarum peritos imprimis conſuleret. Quem æmulatus eſt magnus ille Rex Alphonſus, qui Liuianam hiſtoriam ſemper habebat comitem; atque adeò vt hiſtoriarum lectioni ſuam bene regnandi facultatem acceptam ſe ferre teſtaretur, librũ ſuis inſignibus regiis iuſſit appingi: nec vanè id aut temere, cùm Tullio etiam teſte conſtet, Lucullum omnis militaris prudētiæ rudem, cùm ad Mithridaticũ bellum à Senatu Romano mitteretur, hiſtoriarum lectione tātum Imperatorem euaſiſſe, vt Mithridates hunc à ſe maiorem ducem cognitũ, quàm quenquã eorum quos legiſſet, fateretur. & quid moror vos diutius? egregiã Diodori Siculi præfationem audite. & ſimul librum aſſumens, hoc modo eam nobis interpretatus eſt ex Græco:.

Lamp. in Alex.

Magnas meritò gratias rerum ſcriptoribus homines debent, qui ſuo labore plurimum vitæ mortalium profuere. Oſtendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis appetendum ſit, quidue fugiendum. nam qui multa rerum experimenta variis cum laboribus periculiſque procul ipſi ab omni diſcrimine geſta legimus, maximè admonemur quid cōferat ad degendam vitam. Ideoque Heroum prudentiſſimus eſt habitus, qui ſæpius aduerſam fortunã expertus, multorũ vrbes ac mores vidit. cognitio verò ex aliorum cùm ſecundis tum aduerſis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem. Omnes præterea mortales

Diod. Sic. in proh.

mutua quadam cognatione vinctos, licet locis temporibuſque diſcretos, ſub vnum veluti conſpectum redigunt: diuinam ſanè prouidentiam imitati; quæ cùm cœli ornatum, tum naturas hominum varias communi ordine quodam per omne æuum complexa, quod quemque deceat, diuino munere impartitur. eodem pacto qui totius orbis velut vnius ciuitatis acta ſuis operibus inſtruxerunt, in communem ea vtilitatem conſcripſere. pulchrum eſt igitur, ex aliorum erratis in melius inſtituere vitam noſtram; & non quid alij egerint quærere, ſed quid optimè actum ſit nobis proponere. Seniorum conſilia, quos longa ætas prudentiores efficit, laudantur à iunioribus: at hos tãto antecellit hiſtoria, quanto plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis quàm hominis ætas. itaq; ad vitæ inſtitutionem vtiliſſima hiſtoria cenſenda eſt, tum minoribus, quos lectio diuerſarũ rerum antiquioribus æquat prudentia; tum verò ætate maturis, quibus diuturna vita rerũ experimenta ſubminiſtrauit. adde quòd priuatos viros imperio dignos efficit, Imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit, milites, propter laudem quæ mortuos ſequitur, promptiores efficit ad pericula pro patria ſubeunda. improbos metu infamiæ à malis facinoribus deterret. Hæc ille prolixiùs inquit (librum reponens) ſuccinctius ac melius Baſilius Imperator in libello quem κεφάλαια παραινετικὰ inſcripſit, & Leoni filio futuro principi cõſcripſit: in quo verbis hiſce auro contra non caris hiſtoriam illi commendat, Iϛορίας ἀρχαίας ἐξέρχεσθαι

μὴ κατόκνει. ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσεις ἀκόπως, ἅπερ ἕτεροι συνῆξαν ἐγκόπως. καὶ μάθοις ἐκεῖθεν τάς τε τῶν σπουδαίων ἀρετὰς, καὶ τὰς τῶν φαύλων κακίας, τάς τε τοῦ βίου πολυτρόπους μεταβολὰς, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων τὰς ἐναλλαγὰς, καὶ τοῦ κόσμου τὸ ἄστατον, καὶ το τῆς ἀρχῆς εὐμετάπτωτον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τῶν μὲν φαύλων τὰς ἀμοιβὰς, τῶν δὲ σπουδαίων πράξεων τὰς ἀντιδόσεις, ὧν τὰς μὲν φύγῃς, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν δίκης πεῖραν μὴ λάβῃς, τὰς δὲ κατορθώσῃς, ἵνα τῶν ἐντεῦθεν ἐπάθλων καταξιωθῇς. *Per hiſtorias veteres ire ne recuſa. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerũt. atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuerſiones: mundi huius inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus: &, vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia. quorum illa fugies, ne in diuinæ Iuſtitiæ manus incidas; hæc amplectêris, vt præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* Qua gemma hæc conſigno: & ne varietate aut multitudine rerum Bernartij mei cogitationes obruã, contẽtus pauliſper præluſoria hac velitariq; pugna, mox viribus collectis, toto exercitus robore, collatiſque ſignis depræliaturus; ſermonum hîc prima ſit pauſa volo, &, vt veſtigia mea relegam, ſic ſtatuo: Cùm ſola Prudentia præeat ac ducat ad rectè faciendum, illa autem ex ſolo euentu rerum ſit, euentus autem nuſquam meliùs quàm ex hiſtoria colligatur; nihil excogitari poſſe ad quaſlibet vitæ actiones rite inſtituendas hiſtoriarum lectione vtilius, imo æquè aptum aut cõueniens. Conticuit hic Huyſmannus: omniumq; oculis in me con-

Auro meliora Imp. Baſ. verba.

Collectio hactenus dictorum.

coniectis; Quid expectatis? inquam ego. quid animis ac cogitationibus defixi hæretis ſinguli? vt hoſtis pro hoſte, ſocius contra ſocium, ipſe contra meipſum ſtem, & qui cum corde ſentio, verbo litigem? bone deus, quę me vndique premunt anguſtiæ! quanto curarum æſtu ſolicitus exagitor! quàm periculoſè ſub graui pondere infirmi nutant humeri! quantum nos in ipſa pugna prælij ac certaminis manet, cuius quaſi præluſio atque præcurſio tam acris fuit! Atlantem requirit hoc onus, non pumilionem. quod tu tamen nos ferre vis, Huyſmanne, tu, inquam, cui negare aliquid ſit planè nefas. Suſcepi itaq; ſuſceptum vt potero feram, & ſemel altum ingreſſos quæ noſcunq; tempeſtas exceptura eſt, vela faciam; ac irati maris furorem euadere, vel inuito Neptuno, conabor. & profectò (vt cādidè ac ſimpliciter loquar) in tempeſtate improuiſa tranquillitas, in præſenti periculo ſpes euadēdi affulget. audio enim, & magna cum animi recreatione audio veterū aliquē inſuſurrātem, *Ventum ad ea quæ dici poſſunt contra hiſtoriā.*

—Trophæum ferre me à forti viro pulchrum eſt. *Attitius.*
Sin autem & vincar, vinci à tali nullum eſt probrum.

Quæ ſententia etiam victo ſecuritatem ſpondet. ſed verè ac ex animo vinci hac præluſoria velitariq́ue pugna (vti loqueris) adeò nondum poſſe videtur Bernartius, vt in bonam ſpem venerit nos ſaltē Hieran facturos; meq́ue ea, quæ pro hiſtoria adducta ſunt, pleraq; eneruaturum, alia debilitaturum, ex aliis elapſurum, & licet imparibus copiis, æquo tamen marte diſceſſurum. Quod reapſe ne præſtem, an verbis tātùm

polliceat

pollicear vt queatis iudicare, audite quid mihi cum Huyſmanno noſtro conueniat, & in quo ab eius opinione ſine religione diſcedere mihi liceat. Omnem virtutem in duas partes, contemplationem ſcilicet veri, & actionem, diuidendam, tot tantorumque autorum calculo comprobatum eſt, vt quicũque ſuggillare hanc diuiſionem tẽtauerit, canis latrator haberi poſſit, non demorſor. vtrum autem ex his duobus amplecti præſtantius ſit, cùm ſeſe nolle decidere Huyſmannus noſter dixerit, nec ego quoque ſciens de via in ſemitam digrediar, aut flexus mihi diſponam quos cum magna cura debeam relegere: ſed recto tramite ad actionem tranſeo, quam ſine Prudentia dirigi non poſſe lubenter conceſſero. Prudentiam verò ex euentu rerum eſſe (cùm id apud omnes prudentes in confeſſo ſit) quoque non infitior. Sed euẽtum nuſquam meliùs cognoſci quàm ex hiſtoria, ne tu Huyſmanne hodie vnquã impetrabis vt admittam? cùm ſciam vti ex ſpongia ſuccum aliquem liquoris facilè exprimas, nunquam fæcundã ſcaturiginem; ſic ex hiſtoria guttulas fortè aliquot Prudẽtiæ, nũquam diuitem venam. Et quidem quæ magna Prudentia eſt ſcire quot nauibus Græci venerint ad oppugnãdum Ilion? Vtrùm Romulus aut Remus Amulij imperio in profluentẽ proiecti, beneficio Fauſtuli paſtoris regij collecti, ſeruati ſunt ac educati, vt vulgus ſcriptorum tradit? An vero ſuppoſititij infantes ad Amulium delati, eiuſq; arbitrio necati ſint, gemini verò, procurante Numitore auo materno, Fauſtulo commiſſi? vti inſinuat Halicarnaſſæus.

Curioſa Criticorũ tricæ.

An ipſa Siluia à partu leuata & ſtupri rea patrui iuſſu viua fuerit defoſſa, an in carcerem deprecante Antho Amulij filia conie&#x1F;cta, indeque, Amulio interfecto, filij Romuli beneficio erepta ac reſtituta? An Remus in pugna ceciderit, an verò dum nouæ vrbis vallũ irridet, iuſſu fratris interemptus? Quis primùs Romę triumphauerit, quando introdúcta Ouatio? Quis primus dictator aut magiſter equitum? & alia deinceps huiuſmodi notæ: quæ ſiue contineas, nihil tacitam conſcientiam iuuant; ſiue proferas, non prudentior videberis, ſed moleſtior. quis vnquá, quòd illa non teneret aut etiam negligeret, minùs propterea vir bonus, aut minùs vtilis patriæ ciuis æſtimatus eſt? Quid horum ad prudẽtiam viam ſternit? cauſſas rerũ aperit? Quid nobis in vita expetendum aut ſequendum, quid declinandum aut fugiendum docet? quid ad exploranda hoſtium conſilia, quid ad ducendũ exercitum, ad ordinandam aciem, compeſcendam ſeditionem, diſſoluendum metum iuuat aut prodeſt? audite è ſapiẽtiæ penetrali Romanum Sophum, quicunque in his tricis vobis placetis, & erubeſcite. Quid annos Patrocli & Achillis (inquit) inquirere ad rem exiſtimas pertinere? Quæris Vlyſſes vbi errauerit potiùs, quàm efficias ne nos ſemper erremus? non vacat audire vtrùm inter Italiam ac Siciliam iactatus ſit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam anguſto error eſſe tam longus. Tempeſtates animi nos cottidie iactant, & nequitia in omnia Vlyſſis mala impellit. non deeſt forma quæ ſolicitet oculos, non hoſtis: hinc mõſtra

Senec. Epiſt. LXXXVIII.

effera & humano cruore gaudentia: hinc inſidioſa blandimenta aurium: hinc naufragia, & tot varietates malorũ. hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo vxorem, quomodo patrem, quomodo ad hæc tam honeſta vel naufragus nauigẽ. Quid inquiris an Penelope impudica fuerit, an verba ſæculo ſuo dederit, an Vlyſſem illum eſſe, quem videbat, anteaquam ſciret ſuſpicata ſit? doce me quid ſit pudicitia, & quantum in ea bonum: in corpore, an in animo poſita ſit. hactenus ille. ſubſcribis ne? maximè, inquies, ſpero: nec minutula hæc, cùm de hiſtoriæ vtilitate diſſero, obſeruare te velim, ſed veræ pietatis, temperantiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, omnium virtutum & præclariſſimorum factorum exempla ex puriſſimo hoc prudẽtiæ fonte haurire te cupio. probo conſilium. verùm obſecro, mi Huyſmanne, noli Bernartio tuo hunc fontem inuidere. vbinam locorũ ille? nuſquam certè: aut ſi alibi eſt, oſtende, quæſo, & omnes eò agmine facto imus. apud Græcos ne ſcriptores ille, an apud Romanos? Si apud Græcos dicis, rideo, & quid fidum ab illis expectes rogo: quos tali elogio poeta commendat:

Græci hiſtorici nullius fidei.

Iuue. Sat. 1.

— & quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria —

Reſpuis, & vatis huius fidem eleuas? addam à grauiſſimis viris pondus; *Apud Herodotũ* (inquit vnus) *hiſtoriæ patrem, & apud Theopompum ſunt innumerabiles fabulæ.* cui cõſentit pulchre alter, *Græcis hiſtoriis plerumq. poëticæ ſimilem eſſe licentiam* adſerens. Adhuc ne hæſitas? teſtem audi, & quidem, vt habet vetus verbum, *ἐκ Διὸς δέλτον.

Cic. de leg. i.

Quintil. lib. 11. Inſt. Orat. cap. iv.

** E tabulis Iouis.*

Non

Non debemus (inquit cùm de Græcorum hiſto- *Hier. in xxvii. cap. Ezech.*
riis ageret) *eorum auctoritati acquieſcere, quorum mendacia deteſtamur.* Non credis? agamus quod dicitur obſignatis tabellis; & ne moleſti ſimus de ſingulis agendo, duos ſaltem & quidem primi ordinis, nec modò non inter Pullatos, ſed nec in Quattuordecim, verum in Orcheſtra ſedentes, producamus in Scenā. Quis Xenophon *Oſtenſum id in Xenophonte.* tibi videtur? Philoſophus, inquies, ſuauis, & nō ad vulgi guſtum ſcriptor. non abnuo ex parte; ſed quis tam alba mente vt non capiat quàm pulchre (liceat, quæſo, hîc alludere) Placētinum agit, non Veronenſem, dum Cyrū nobis deſcribit? an fidem illi igitur habendam in reliqua hiſtoria cenſes, qui in omnibus nota re tam vanus? Alterum iam aggrediamur, & quidē talem, vt inter optimos ſcriptores (ſi hominem penitiùs non inſpicias) referre eum non dubites. Dionem, inquam, poſtulo. quis ille vir? qui per *Et in Dione.* omnes honorum gradus bis ad Conſulatum euectus, Proconſul deinde factus, ſumma cum laude Prouincias adminiſtrauit, &, ſi quis alius, vſu rerum peritus fuit. At quàm callida, imò calida, infida, & peruerſa eius in hiſtoria iudicia de Cicerone, Bruto, Caſſio, Seneca, & omnibus ſelectis Romanis! iam quis non rideat? pugnam illam & perpetuum illud litigādi ſtudium inter Græcos hiſtoricos ſeſe mutuo reprehendentes: *Græcorum hiſtoricorum pugna.* adeò vt nihil firmiter ſcientes videantur tradidiſſe; ſed quod quiſque opinatus eſt, id poſteritati perſuadere voluiſſe. At Romanos ſcripto- *Ventum ad hiſtoricos Latinos.* res magis fidos fortè adſeris? vtinam fuiſſent. ſed nunquid verè illud tritum poſſim,

Ouid. 11. de Pont. *Non eſt confeſſi cauſſa tuenda rei?*

Flau. Vopiſc. in vit. Aurel. miraris? mirari deſine. Flauium ſiquidem Vopiſcũ tibi oppono; qui cùm ipſemet hiſtoriam ſcribat, fateri tamen non veretur, nullum hiſtoriæ ſcriptorem eſſe, qui non ſit aliquando mentitus, multaque in Liuio, Saluſtio, Tacito, Trogo eſſe, quorum fides manifeſtis teſtimonijs labefactari poſſet. vnde fidenter ſe accingi ad ſcribendum hiſtoriam ait, quandoquidem habiturus eſſet mendaciorum ſocios. Hæc ſcribit Vopiſcus, & profectò, vt ego iudico, nõ vanè. etenim

T. Liuius interpolatus. Princeps Latinę hiſtorię audit Liuius. ſi magnitudinem operis ac nitorem phraſium ſpectes, non valde abnuo (vtcumque impuri alicuius Ægiſthi adulteria compluries reperiam in hac regia ſponſa) ſi rem ac narrationem, dubitare me, nec manus adhuc dare dicam: cùm Liuius

Nullos certos habuit autores. ipſe ſatis candidè fateatur, nullos ſeſe habuiſſe certos probatoſque autores vel annales, quos in ſcribẽdo ſequeretur. etenim quæ à cõdita Vrbe

Liu. lib. VI. Roma ſub Regibus primùm, Cõſulibus deinde ac Dictatoribus Decẽuiriſq; ac Tribunis conſularibus geſta fuiſſe quinque libris tradiderat, ea ſub obſcura & parum cõſtantia ipſe queritur, cùm quòd raræ per eadem tempora litteræ fuere, tum quòd etiam ſi quæ in cõmentariis Pontificum, aliiſque publicis priuatiſque erant monumentis, incenſa à Gallis vrbe, pleraque interiiſſent. & alibi poſteaquã hiſtoricorum Romanorum varias diſcrepanteſq; ſententias recitaſſet, *Nec facile eſt*, inquit, *aut rem rei, aut au-*

Liu. lib. VIII *toritatem autori præferre. vitiatam memoriam funebribus laudationibus reor, falſiſq; imaginum titulis,*

lis, dum familia ad ſe quæque famam rerum geſtarum honorumq́; fallente mendacio trahit. Inde certè & ſingulorum geſta & publica monumenta rerum confuſa: nec quiſquam æqualis temporibus illis ſcriptor exſtat, quo ſatis certo auctore ſtetur. Quid libris quoque I I, I X, ac X hac de re ſcripſerit, tenes. ad Tacitum itaque tranſeo; quem probum legitimumq́ue hiſtoricum ſat ſcio dices; ſed quàm verè, videris, cùm eum mẽdaciorum pleniſſimum Tertullianus ſcribat. Si igitur qui primas in Romana hiſtoria obtinent, incerti aut mendaces autores ſunt; quis verebitur de reliquis Flauij ſententiam ſuo calculo comprobare? de me certè profiteor, quod à Velleij Paterculi lectione nunquã ſurgam ſine ſtomacho; ita in ſingulis pænè paginis veſtigia fœdiſſimæ noto adulationis. Ælium Seianum, bonorum exitio natum monſtrum, quaſi ſupra homines extollit. Romani imperij fœdas illas maculas Tiberium Liuiamq́ue ita collaudat, vt iure poſſim adferre illud Aeſopeum, nihil reliqui aliis eſſe: meliorũ mentiũ virtutes, Germanici, inquam, optimi iuuenis, aliorumq́;, callidè diſſimulans. At Iudæorum ſcriptores, certè Chriſtianorum, legitimam hiſtoriæ viam firmo pede preſſiſſe fortè inquies. audio. At Ioſephum hiſtoriæ Iudaicæ principem multa ex diametro cum ſacris litteris pugnantia tradere ſcio. Euſebium Cæſarienſem, inter Eccleſiaſticos ſcriptores celebrẽ, à Patribus VII Synodi Arrianæ hæreſeos defenſorem iudicatum video. Zozomenum hiſtoriæ tripartitæ columen magno Gregorio iudice mendacem, & Theodori hæretici patronum.

Tacitus mẽdaciſſimus dictus.

Tertul. Apol.

Velleius adulator.

Ioſephus haud certæ fidei.

VII Syn. Act. VI.

Greg. lib. VI Epiſt. XXXI.

C Noua-

Euſebius, Zozomenus, Socrates, hæreticorum patroni.

Nouatianorum certe hæreſi eum imbutum, qui vel vnum VII libri XVI caput attentè legerit, nunquam infitiabitur. Socratem quoq; eadem hæreſeos labe maculatũ, ſcio te non dubitare. Julium denique Africanum à Gelaſio Ponti-

c. Sancta Rom. Eccl. diſt. xv.

fice dãnatum, ex iure noſtro didiciſti: & ne tibi nimium quoque recentiores placeant, Paulum Iouium, illuſtrem imprimis ac ſpectabilem, à

P. Iouij hiſtoria paſſim reprobata.

nulla non manu hodie vapulare, eiuſq́ue ſcripta tanquam fœdæ adulationis & mendaciorum maculis aſperſa paſſim noſti reijci. ô igitur verè Prudẽtię mater hiſtoria, ô magiſtra vitæ, ô nuntia vetuſtatis, lux veritatis! geſtio profectò audire, Huyſmanne, quid ad tam clara, tam aperta reſpondebis: quibus argumentis ſolem hunc meridie lucere negabis, ex mendaciorum quiſquiliis fruges Prudentiæ colligere nos poſſe docebis. æſtuas credo; & vt ſoluas Gordium hunc nodum, Tenediam ſecurim quæris. age, age, libero te metu; & ipſa defenſionis meæ æquitate confiſus, vtcumque etiam tibi largiar non deflexiſſe hiſtoricos à veritatis ſemita, nihil tamẽ ad Prudentiam eos adhuc conferre audacter adſero. etenim cùm prudentis viri ſit, non tantùm adfirmare ita eſſe; ſed cur ita ſit, & aliter non ſit, nec eſſe poſſit, aut debeat, oſtẽdere; nec tantùm τὸ ὅτι, ſed etiam τὸ διότι adferre; nec

Iſoc ad Demon.

**In conſulẽdo præteritarum rerum exẽpla transfer ad futuras.*

modo quid ſit actum, ſed quare, quomodo, qua fine ſit geſtum, in numerato habere, & ſic ad vſum deducere prudens illud Iſocratis monitum: *βουλευόμενος παραδείγματα ποιοῦ τὰ παρεληλυθότα τῶν μελλοντῶν: Quid, obſecro, huic fini hiſtoria ſuppeditabit? non ſcripſere tantum

res

res geſtas, inquies, hiſtorici, ſed maximorum conſiliorum ác præclariſſimorum facinorum cauſſas pariter ac euentus rite ac rectè poſteritati propoſuere. Ex animi tui ſententia, Huyſmanne, ſiccine tu ſentis? vix facis fidem. etenim quis nó rideat, eos qui interiori principum conſilio (quales plerique ſunt hiſtorici) nunquam fuere adhibiti, res nullas maioris momenti tractarunt, ſed commentitias ac vulgo & forenſibus ſermonibus iactatas cauſſas tantùm cognouerunt, maiori neſcio temeritate, an impudentia, de ſummis rerumpublicarum moderatoribus ſententiam ferre? & cùm nullam Reipublicæ partem vnquam attigerint, nedum vltra crepidas ſutores, vt in adagio eſt, ſed de coloribus cæci iudicant. cùm nunquam caſtra, nunquam acies viderint, tamẽ in amicorum circulis, imò (vt magnus olim Imperator conquerebatur) etiam in conuiuiis exercitus ducunt, vbi caſtra locanda ſint ſciunt, quæ loca præſidiis occupanda, quando & quo ſaltu intranda Macedonia: vbi horrea ponenda, qua terra, mari ſubuehantur commeatus: quádo cum hoſte manus conſerendæ, quádo quieſcendum ſit, ſciunt. Neque quid melius faciendum ſit modò ſtatuunt; ſed quicquid aliter quàm ipſi cenſuere. factum eſt, conſulem veluti dicta die accuſant. Denique cùm ocium vrbanum militiæ laboribus præferunt, è terra tamen gubernare volunt. vbi acumen tuũ, mi Huyſmãne, ſi non perſpicis quàm ineptum ſit, tam inſulſis præceptoribus te committere, & his ducibus ad Prudentię calcẽ velle pertingere? vbi candor & ſimplicitas, ſi cùm intellegas,

Hiſtorici inepti plerumq; iudices.

Paul. Æmil. apud Liu.

Nec ideo probi ad Prudẽtiã magiſtri.

tellegas contra veri tamen faciem, pro imaginario tibi ſenſu frontem duras? At certè exempla continentiæ, frugalitatis,temperantiæ, aliarumq́; virtutum hiſtoriæ ſuppeditabunt,inquis, omneſque ad laudem & gloriam honeſtiſſimis factis extimulabunt. Quæ,obſecro,frugalitatis ac continentiæ exempla Huyſmanne? Sardanapali, Caligulæ, Neronis, Commodi,aliorumq́, ſimilium belluarum non hominum fœdæ illæ libidines,& abominanda facinora,quæ tam accuratè à pleriſque hiſtoricis diſcribuntur? huiuſmodi autores vtinam ſolùm non prodeſſent: nocent,& rectiſſima ingenia corrumpunt, multaque praua ac vitioſa nunquam audita aut vſitata docent.conſultiuſque eſſet, ſicut maximus ille Plato poëtas, quod molles leueſque lectores facerent,è Republica ſua eiecit; hiſtoricos hos mendaciorum conflatores,omni rerum vſu deſtitutos deliros Phormiones,ac verè vitiorum magiſtros, eiicere & exterminare. Seneca meus (non enim diſſimulo, in deliciis mihi hæc Sapientiæ proles) pro me ſtat, Socrati (inquiens) Catoni,& Lælio excutere mentem ſuam diſſimilis multitudo potuiſſet:adeò nemo noſtrum, qui maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium poteſt.vnum exemplum aut luxuriæ aut auaritiæ multum mali fecit: conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. vicinus diues cupiditatem irritat:malignus comes quamuis cādido ac ſimplici rubiginē adfricuit. Quid tu accidere his moribus credis, in quos publicè factus eſt impetus? hæc ille de Romanorū ſpectaculis.

Vitiorum potiùs promotores.

*Epiſt.*VII.

ctaculis. quanto ego melius de tuis hiſtoricis, qui Sardanapali luxum, Caligulę ſæuitiam, Neronis mollitiem & crudelitatem, aliorumque monſtrorum nouarum voluptatum portenta non obiter ſemel ſpectáda, ſed litteris conſignata omnibus imitanda videntur proponere. ab his ne Prudentiam petam? abſit. etenim ſi (vt idem noſter Sophus ait) *magna pars ſanitatis eſt, hortatores inſaniæ reliquiſſe*: ego magnam Prudentiæ partem adſecutum eum iudico, qui propudioſos hos Veneris nepotes Veneris marito conſecrádos iudicat. Quantũ poſſumus, quęſo mi Huyſmanne, à lubrico recedamus, cùm in ſicco quoque parum fortiter ſtamus. mittamuſ vana hæc, imo noxia, nec remedia, ſed venena. Quid ergo facimus? inquis, cũ ex euentu rerum ſit Prudentia; euentus auté optimè ab hiſtoria. Nugę, mi Huyſmâne, &, vt ille inquit, quiſquiliæ volantes & venti ſpolia. omnem illam hiſtoricorum Prudentiam non emiſſim titiuilitio. euentus optimè ab experientia & vſu: vſus verę Prudentiæ vberrimus eſt fons: ex vſu Prudentia velut ex arbore ramus, ex radice arbor, ex ſole radius, ex mari flumen. oculis non auribus credere optimum, interfuiſſe rebus, cauſſam cognouiſſe, ſcrutaſſe, non legiſſe, non audiuiſſe. Quid dico optimum? imò neceſſarium. fieri enim non poteſt vt res ciuiles tangas vel tractes ſine vſu. etenim vt aſpectus à circumfuſo aëre lumen accipit, ſic mens ab vſu. & qui ſine vſu Prudentiæ liquore mentem non dicam mergere, ſed etiá tingere poſſe ſperat, vna certè opera ebur atramento candefacere poſtulat. Princeps Philo-

Sen. Epiſt. XCVII.

Cæcil.

Vſus certiſſimus doctor.

Ariſt. VI Eth. cap. VIII. Philoſophus clarè ſubſcribit: τῶν καθ' ἕκαϛά (inquit) ἐϛιν ἡ φρόνησις, ἃ γνώριμα γίνεται δι' ἐμπειρίας. *Rerũ ſingularium Prudentia eſt, quæ notæ homini per vſum fiunt.* & Marcus Varro, *Experientia*, inquit, *& vſus dominãtur in artibus.* *Lib. I Rei ruſt.* Imò Cicero ipſe tuus, licet aliàs oratoriè magis quàm verè verborum luce ac ſplendore hiſtoriam illuſtrare conetur, apertè tamẽ ad nos trãſit, *Cic. de Orat.* *Vſus*, inquiens, *omnium magiſtrorum præcepta ſuperat.* *Pro Bal.* & alibi, *Aſſiduus vſus vni rei deditus & ingenium & artem ſæpe vincit.* *Plin. lib. XXVI.* & Plinius, *Vſus efficaciſſimus rerum omnium magiſter.* & decima illa Muſa Plautus noſter,

Plaut. Trucul.

Pluris eſt oculatus teſtis vnus quã auriti decem.
Qui audiũt, audita dicũt: qui vidẽt, planè ſciũt.

& poëta magnus,

Virg. —— *Experto credite.*

& alter,

Ouid. *Solus & artifices qui facit vſus adeſt.*

Imo, quod mirere, ipſe Polybius, *Optima*, inquiens, *ad veram vitam inſtitutio videtur eſſe experientia: eſt namque rerum omniũ magiſter vſus.* hæc ille. vos credite, & nolite hiſtoricorum lolio victitare, cùm habeatis triticũ; nec, cùm ſiligineus domi ſit panis, emendicato veſci furfure. ego certè in hac ſentẽtia ſeriò conquieſco, cùm *Claud. apud Mamert. lib. II c. X.* quòd glorioſum mihi victoriæ genus ſit (vt ille inquit) ab ipſo cum quo decertẽ arma capere, quęſitumq; aduerſario teſtẽ illinc ſtare & iſtinc dicere; tum quòd auidè expectare vos iam arbitror, vt Huyſmannus, cùm ioculari ac præluſoria pugna Bernartium de ſtatu deturbari minimè potuiſſe ſentit, aperto marte, & collatis (vti *Concluſio eorum quæ contra hiſtoriam faciũt.*

minaba-

minabatur) ſignis deprælietur. Diſieram ego. excipiens Verannemanus,non potuiſti, inquit, de ſtatu deijci hac ſchiamachia & præluſoria oppugnatione: at nos certè, niſi quid ſpei in Huyſmanno ſit, ſubmittimus arma:adeò grauiter & copiosè multa attuliſti quæ hiſtoriæ laudes nedum oppugnare,ſed expugnare videntur. & ego quoque ad incitas redactus ſum, ſubiecit Varicius. ſuccurre Huyſmanne, aut perimus. Subridẽs Huyſmannus,hic auſter,vt video,inquit, vos omnes cõcuſſit;at confidite, cymbam ego dirigam Gubernator,& per hanc tempeſtatem facilè perueniemus in portum. illud certè fateor, vix ſtatuere me poſſe,maiorem ne mihi voluptatem an admirationẽ attulerit Bernartij mei oratio. voluptati enim fuit quod tam gnauiter in hac ſcena perſonã ſuſtinuit quam adſignaui ego illi Ædilis: nec ſcintillam ſuſpicionis reliquit, quaſi præuaricator parietes duos linire, & cauſſam, quã ſuſceperat, ſchemate vellet corrũpere. quinimo vt hiſtoriæ cauſſa commodiùs à me agi poſſet, in eam licentiùs, repugnante pauliſper ſenſu atque natura, eſt inuectus, veluti Glauco ille apud Platonem iniuſtitiam laudat,non ex iudicio, ſed vt ad laudes iuſtitiæ Socratẽ extimularet. admirationi autẽ fuit,quòd tam numero omnia ea quæ hiſtoriæ hoſtes nobis obiiciunt, ſit complexus, vt nihil prætermiſiſſe videatur:adeò vt,niſi opes ingenij eius perſpectiſſimas haberem, crediturus fuerim, paratum illi fuiſſe iam pridem hoc argumentum, vt ad primam quamque occaſionem poſſet proferre. macte animo adoleſcens, & quẽ

calcare occepiſti veræ laudis tramitem inſiſte. vides pernicioſiſſimas hederas litterarum ſacras ſtirpes vndique præfocare, omnemq́ue earum ſuccum lapſibus erraticis exſorbere, & eiectam ſuperiore ætate barbariem iterum irrepturam, niſi tui ſimilium operâ profligetur. Non tenui colorem ad hanc vocem ego. &, vide, obſecro mi Huyſmane, inquam, ne verba tibi det amor erga me nimius, apud quem, vt ocellus poëtarum cecinit,

Amor iudicio nocet.

Propert.

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

Barbariem profligare vobis Tribunis & primipilis peculiare, nos caligati & velati tanti muneris pondus ſuſtinere non poſſimus, ſed optimè nobiſcũ agetur ſi inter Barbaros ipſos non numeramur. Amor iudicio nõ obſtat, mi Bernarti, ſubiecit Huyſmannus, qui ex iudicio natus eſt. quem tamen non promo vt te attollam, quinimo promouiſſe te ſcias, non perueniſſe. Modeſtiam ama, & vide ſollicitè ne te deprauet praua illa confidentia & æſtimatio ſui, qua nulla exitialior peſtis. aures tuas ſæpe inſonet Senecæ Philoſophi illa aurea vox: *Puto multos ad ſapientiam potuiſſe peruenire, niſi putaſſent ſe perueniſſe.* & Tragici:

Niſi ex iudicio natus.

Modeſtia adoleſcentem decet.

De Tranq. animi, cap. 1

Sen. Trag. Thy.

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.

In Epiſt.

& diuinum illud Plinij dictum: *Præcipua Prudentia eſt, quòd alios prudentiores exiſtimas; præcipua eruditio, quòd diſcere vis.* tu facies, mi Bernarti, & cottidie dimiſſionem animi habebis ante oculos. ſi ab illa aberras, ſemper miſer futurus es erro. ego in viam redeo; & quæ obieciſti principio

Confidentia ſui corrũpit.

cipio

cipio diluam, noſtraq; deinde firmiùs ſtabiliam. tu, quod apud noſtrum Comicum Simo, *Fac ſis vacuas ædis aurium, mea vt migrare dicta poſſint quò volo.* damnaſti in exordio Philologiam; ſi omnino ad eruditos fidenter prouoco. nec dubito quin legitimi quique iudices amœniore hac doctrina excolendum & præparandum iuuentutis animum, nec antea iudicabunt idoneum cui grauiora committantur: non magis quàm lana purpuram ſeriò poteſt imbibere, quæ aliis ſuccis non fuerit præparata. Si curioſam quorundam curam tantùm reprehendis, & eos rides, qui, poſitis aliis omnibus curis, ſoli ita in hac ſunt cura, vt, grauioribus diſciplinis ſpretis, ardeant tantùm in earum adminiſtris; nec præparari modò à litteris animum, ſed detineri patiuntur: non pedibus modò, ſed manibus & toto corpore in tuam ſententiam diſceſſerim. verùm nihil hæc ad noſtram Andromacham. non de flore hiſtoriarum iam, ſed fructu diſputamus. nec ea quæ Philologo ſeruiunt, ſed Prudentiæ candidato vſui ſunt, quærimus. At nihil illi ſuppeditant hiſtoriæ, inquis. audio. ſed ea quæ ad hanc adſertionem firmandam adducis, adeò leuia ſunt, vt omnes legiones tuas (Plauti noſtro ioco) difflauerim ſpiritu, quaſi ventus folia aut panniculam tectoriam. hoc enim ſolum euincis, non quamlibet hiſtoriam ad Prudentiam prodeſſe. quod lubenter ac volenter tibi cōceſſerim, dum ſciam, vt non quæuis terra venam habet latentium aquarum, ſic nec hiſtoria promiſcuè fœcundam Prudentiæ ſcaturiginem. legitima enim hiſtoria iure ſuo hanc ſibi

Plaut. Pſeu.

Refutata ea quæ contra hiſtoriam allata.

Philologia præparare debet animum.

Non detinere.

Non hiſtoria quæuis ad Prudentiam vtilis.

Legitima hiſtoriæ definitio. laudem vendicat; quam definio VERAM RERVM GESTARVM NARRATIONEM, ACTIONES VITAMQVE HVMANAM FIRMITER DIRIGENTEM. dixi VERAM, quòd veritas non ſolùm decus ac ornamentum hiſtoriæ ſit, ſed ipſa eius anima. *Hiſtoria ſiquidem* (vt rectè dixit Plinius) *non oſtentationi, ſed fidei veritatíque componitur.* vera autem erit, ſi recto curſu, ac certa (vt ſic dicam) linea, Tullij ſeruet leges. *Ne* videlicet *quid falſi ſcribere audeat, ne quid veri non audeat, ne quam in ſcribendo ſuſpitionem gratiæ, ne quam ſimultatis oſtendat.* nec temere à me adiunctum, ACTIONES VITAMQVE HVMANAM FIRMITER DIRIGENTEM. neque enim ſatis eſt verè & ex fide narrare quid ſit actum: ſed cùm prudentis ſit, vt prudenter mi Bernarti monuiſti, non ſolùm quid ſit geſtum, ſed quare, adferre; præcipuum hiſtorici munus eſt exponere quid, quare, qua fine ſit geſtum, paſſimq; actiones vitamque dirigentes ſententias, proba probantes, improba improbâtes, ſeriе narrationis nihil omiſſa aut læſa inſpergere, omniaq; dicta, facta, conſilia, ad bene inſtitutæ vitæ formam reuocare.

Quomodo hiſtoria ſcribenda.

Plin. epiſt. lib. VII.

Cic. lib. II de Orat.

Cic. II de Orat. Rerum quippe ratio (vt eodem loco lactea Romani ſermonis vbertas rectiſſimè ſentit) ordinem temporum deſiderat, regionũ deſcriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis, conſilia primùm, deinde acta, poſtea euentus expectantur, & de cõſilijs ſignificari quid ſcriptor probet, & in rebus geſtis declarari non ſolùm quid actũ aut dictum ſit, ſed etiam quo modo: & cùm de euentu dicatur, vt

cauſſæ

cauſſæ explicentur omnes, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis; hominumq́ue ipſorum non ſolùm res geſtæ, ſed etiam qui fama ac nomine excellunt, de cuiuſque vita ac natura. Quæris vbinam ſit hæc legitima hiſtoria, mi Bernarti? apud Græcos ne an Romanos, aut denique noſtros? reſpődeo, apud ſingulos. abnuis? & ex graui virorũ minimè leuium cenſura Græcos imprimis ſcriptores vanitatis ac mendacij poſtulas? fateor & ego tecũ, multos eſſe vanos, leues, & nullius ſeriæ curæ ac fidei, ſed non omnes. Etenim ſi Dionem, Herodotum, Xenophőtem profers; Thucydidem, Polybium, Plutarchum tibi oppono, qui legitimam hiſtoriæ viam viderunt, & fixo pede peragrarunt. Thucydides ſanè fidus omnino ſcriptor, & quem Principem ſenatus hiſtorici, ſi mei arbitrij res foret, legere non dubitem. Si in ſcriptis eius veritatem habitare dixero, ipſam non dubito quin ſuffragantem ſim habiturus. In exilium eiectus à ſuis Athenienſibus (quod maximis fere quibuſque viris contigiſſe dolemus) ita tamen ſcripſit, vt ne exul quidem vllo malè erga Athenienſes adfecti animi indicio ſua ſcripta aſperſerit. imò adeò veritatis amans ac moribus moderatus, vt ne Braſidæ quidem (qui calamitatis autor ipſi fuerat) vſquam in ſua hiſtoria præ ira aut odio maledixerit. & infeſtiſſimum ſibi Periclem non ſolùm à calumniis vindicauit, ſed prudentiæ aliarumq́ue virtutũ nomine ſyncerè commendauit. Omnes verò dicendi artificio (vt Tullij verbis vtar) mea ſententia facilè vincit: qui ita creber eſt rerum frequẽtia, vt verborum propè numerum

Thucydides optimus ſcriptor.

Verus.

Marcel. in vita Thucyd.

Ab adfectibus immunis.

Vide Thuc. lib. II.

Cic. de Thuc. II. de Orat.

numerum ſententiarum numero conſequatur, ita porrò verbis aptus ac preſſus, vt neſcias vtrú res oratione, an verba ſententijs illuſtrétur. quæ in cauſſa fuiſſe exiſtimo, quòd Demoſthenes propria manu octies eum deſcripſerit. fuerit veritatis amans, fuerit ſtrictus ſententijs, placeat dicendi artificio, inquis, cùm haut idoneus cenſor ineptè de ſummis rebus cenſeat ac imperitè. minimè gentium, Bernarti; ſed quod hic conſulenti tibi reſpódebit, Delphis tibi reſponſum dicito. Regia quippe ſtirpe clarus ac illuſtribus planè maioribus ortus, rebus gerédis non ſolùm interfuit, ſed pręfuit; & in bello Peloponenſi legationes & Præturas obiuit. de Polybio autem quid dicam? cùm veriſſimum eum ſcriptorem eſſe, omnium eruditorum punctis atque calculis conſtet. In ciuili ac militari diſciplina diutiſſime eum ſe exercuiſſe, magnam Europæ partem, oram Africæ, & Aſiam minorem, vt populorum mores intellegeret, peragraſſe, denique, quod maximum eſt, magni Scipionis Africani moderatoré, ac bellorum vbiq; ſocium fuiſſe, nemo vel in veſtibulo adhuc antiquitatis conſtitutus ignoret. ſalutaria certè monita ſi in eo deſideras, aquam in profluente quæris. Nec noſtro quoque præconio indiget Plutarchus, qui nedum in ipſa Principum aula diutiſſime vixit, ſed Imperatoris Traiani moderator ac Iſtriæ etiam præfectus extitit, ſi quis alius rerum optimus iudex. vides igitur Bernarti, & apud Græcos veritatis quoq; amantes & adeò vſu rerum peritos hiſtoricos fuiſſe, vt illos differentes (fidenter dicam) Neſtor aliquis audire nihil abnuat,

Eloquens.

Idoneus iudex.

Polybij hiſtoriq; proba.

Itidem Plutarchi.

nuat, aut ipſe Alexander? Nec nimium quoque deprime Xenophontem circumſpectum ſanè ſcriptorem. Cyrum non ad hiſtoriæ fidem deſcriptum ab eo fateor, ſed ad effigiem iuſti Imperij. itaq; qualis nam reuera Cyrus fuerit, non exſpecta, ſed qualis eſſet Imperator ad normam exemplaris exactiſſimi compoſitus. non debuit, inquis, in hiſtoria, cuius caput ac pes ipſa veritas. agnoſco; nec quod pro Xenophonte aliud opponam habeo: ſed Plinium (ſi videtur) pro ipſo audi ſcribentem: *Præcipere qualis eſſe debeat Princeps, pulchrum quidem, ſed oneroſum ac propè ſuperbum eſt: laudare verò optimum Principem, ac per hoc poſteris velut è ſpecula lumen, quod ſequantur, oſtendere, idem vtilitatis habet, arrogantiæ nihil.* Dionē Caſſium ſæpius hallucinari, ſæpius adulari, &c, ſi rectum de maximis viris iudiciū quæris, apud antiquitatis peritos cōfregiſſe teſſerā, tibi largior. in Philologo tamen grege vtiliter eum collocari ſcio. Herodotum communi ſuffragio dānatum noui: num iure an iniuria, iam non diſputo; cùm ſolum mihi propoſitū oſtendere, & apud Græcos quoque probatæ fidei hiſtoricos eſſe; cuius generis Thucydidem, Polybium, Plutarchum, cōfido, non abnues. ad Latinos itaque trāſeo. Inter quos Liuium proprio enſe iugulare niteris, ſed imbrem (quod aiunt) in cribrum geris. ſcio eum alibi conqueri rerum geſtarum memoriam ſubobſcuram. legi quoq; candidè ſcribentem: *Quæ ab condita vrbe Roma ad captam eandem vrbem Romani ſub regibus primùm, Conſulibus deinde ac Dictatoribus, Decemuiriſque ac Tribunis Conſularibus geſſere foris bella,*

De Xenophonte ſententia noſtra.

Plin. in Epiſt.

De Dione.

Liuius defenſus.

Liu. lib. VI.

bella, domi ſeditiones; quinque libris expoſui; res cum vetuſtate nimia obſcuras, velut quæ magno interuallo loci vix cernuntur, tum quòd perraræ per eadem tempora litteræ fuere, vna cuſtodia fidelis rerum geſtarum: & quòd etiam, ſi quæ in commentarÿs Pontificum alÿſq; publicis priuatiſque erant monumentis, incenſa vrbe pleraque interiere. hæc, inquam, ſcribit Liuius: ſed quod tu ſiles, Bernarti, fideliter ſubdit: *Clariora deinceps certioraq; ab ſecunda origine, velut ab ſtirpibus lætiùs feraciuſq; renatæ vrbis geſta domi, militiæq; exponentur.* In pollicendo quàm in præſtando liberalior fortè fuit, inquis? imo fidelior Bernarti quàm tu aut quiſquam alius credere poſſet, qui nouit aulæ mancipiis adeò familiare, omnia Principũ honeſta atq; inhoneſta laudare; vt poeta ſcripſerit:

Liu. ibid.

Non intrat vnquam regium limen fides.

Sen Trag. Agam.

Quorſum iſta? inquis. quaſi neſcias quàm arcta familiaritas huic noſtro Liuio cum Auguſto Cæſare interceſſerit, & quàm candidè tamen, quàm ad veritatis (vt ſic dicam) rubram lineam bellum illud ciuile inter Pompeium & Iulium deſcripſerit. Simul obortus mihi eſt largior riſus. Quid rides? inquit Huyſmãnus. Non rideã? inquã, quòd ea pro te in me voces quæ nuſquã? aut ſi hic theſaurus apud te, prome mi Huyſmanne, & omnes tibi gratias immortales. vtinã opem adferre eſſet meæ opis! ſubiecit Huyſmãnus, ſed irreparabili ſtudiorum iactura, nulla mens aut manus eſt, neque (vt metuo) erit quæ medeatur huic plagæ. nec tamen mihi hîc inequita & inſulta, quaſi hæc ponam ſine vallo rationis. Tacitum accede, apud illum leges: *Titus Liuius*

Nam ab adfectibus liber.

Tac. Annal. IIII.

Liuius eloquentiæ ac fidei præclarus imprimis Gn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Auguſtus appellarit. Qui itaque florentiſſimi Principis & quidem viuentis & amiciſſimi etiam gratia (olim & nunc rara virtus!) adduci non potuit, vt auribus cuiuſquam aliquid daret, cúmne in aliqua parte operis à veritatis orbita ſtudio aberraſſe, aut quidquã hauſtum ex vano voluiſſe credam? At materia Liuio obiecta, vtcumque verus ſcriptor, Prudentiæ candidato parum proderit? imò eam materiam ſibi delegit, quæ & maximè inter ceteras excellit, & eius Reipub. acta expreſſit: quæ vt ceteras armorum gloria atque Imperij amplitudine; ita omni genere exemplorum (quæ quiſque ſecutus, egregiè cum ſibi, tum Reipub. conſulat) antecelluit. & ne imparem huic oneri Liuium exiſtimes, cùm magno illi Cæſari eum familiarẽ (vti diximus) tum tot ac tantis animi dotibus clarum fuiſſe ſcias, vt, magno ac ſancto Hieronymo teſte, quidam ex vltimis Hiſpaniæ, Galliarumq́; finibus viri illuſtres Romã venerint vel ob hoc ſolum vt Liuium noſtrum contuerentur. Eſſem longior niſi Tacitus meus ad ſe me raperet, qui hiſtoriam rerum geſtarum à Tiberio vſque ad Neruam tam accuratè, verè, ac prudenter deſcripſit, vt æqui rerum æſtimatores non ſolùm ſeminarium ſalubrium præceptorum hiſtoriam eius eſſe, ſed nihil vnquam accuratiùs ab vllo hiſtorico ſcriptum fateantur. ſcio Chriſtianos eum alibi perſtringere, & deliria varia deliraſſe cùm de Iudæis eorúmue ritibus ac ceremoniis ſcribit, quo reſpectu eum Tertullianus mendaciſſimum

Varietate exemplorum vtiliſſimus.

Liuij laus.

Taciti hiſtoria probiſſima.

ciſſimum vocitat: verùm vt vinum vinum non eſſe deſinit, ſi guttulæ in eo aquæ; ſic nec Taciti hiſtoria proba, ſi in ea hæ maculæ ex ethnicorũ maculis expreſſæ. errores fuere ignorantis, non mendacia fallentis. quas ſi tollas, prudens ille

Hoc æuo digniſſima lectu.

certè, ceterũ & ſuauis omnino ſcriptor; & quẽ his temporibus & hac ſcena rerum in manus ſumet, quiſquis ſibi conſultũ volet. non ingen-

Tac. An. IIII.

tia (vt ipſemet de ſe ſcribit) bella, expugnationes vrbium, fuſos captoſque reges, diſcordias Conſulũ aduerſus Tribunos, agrarias frumentariaſque leges, plebis & optimatum certamina recenſet, ſed ſæua iuſſa, continuas accuſationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium: &, vt verbo dicam, quicũque hunc Cornelium leges, in theatro verſaberis hodiernæ vitæ; & modò ſcintillam habeas iudicij melioris, ab iiſdem cauſſis pares exitus notabis. nec nudo hæc omnia verborum contextu, ſed dictione plena aureis, actiones, vitamque dirigentibus ſententiis; quas cùm ictu quodam audies, nec licebit rogare aut interrogare, adeò etiam ſine ratione

Tacitus acutus & ſuccinctus.

ipſa veritas ducet. breues illas fateor eſſe & ſuccinctas: quod nequaquam blandum auribus imperitorum, tanto maiorem gratiam apud doctos habere debet, quanto minorem apud indoctos habet. quippe

Lucret.

Paruus & eſt Cygni melior canor, ille gruũ quàm
Clangor, in æthereis diſperſus nubibus Auſtri.

In re dubia vbi re eſt opus, re iuuabit. & ne medici huius manum æger aſpernere, floruit Tacitus noſter diutiſſime in militari vrbanaque diſciplina, Procurator datus Galliæ Belgicæ à Veſpa-

Veſpaſiano, prætura deinde, imò imperãte Nerua conſulatu auctus, hiſtoriæ ſcribendæ ſenex demum vacauit. Excepit filum hiſtoriæ Cornelianæ Ammianus Marcellinus: & quamuis pari laude non pertexuit, tamen cùm in Gallia & Germania ſub Iuliano Imperatore multos annos militarit, atq; adeò multis bellis à ſe diſcriptis interfuerit, nec hunc quoque reiicite Prudentiæ candidati. virtutes certè ac vitia Principum ſine adfectu notata videbitis, & ſic præcipuo (Tacito quidem iudice) annalium munere probè eum functum ac defunctum obſeruabitis. C. Salluſtium prætercam? abſit. etenim hic ille eſt de quo, vt multi perhibent, magno applauſu hi verſiculi Romæ circumlati ſunt: *De Ammiano noſtra ſententia.* *Tac. An. III.* *Salluſtij vera laus.*

Hic erit, vt perhibent, doctorum corda virorum,
Criſpus Romana primus in hiſtoria.

&, vt legitimi quique cẽſores cenſent, verè ſuo merito. Sed ô nimiam profectò ſtudiorũ iacturam! paucula tantùm fragmenta ex diuite hoc hiſtoriarum theſauro habemus: quæ tanquam probatiſſima omnes probi probant. Agmen mihi claudat magnus ille Cæſar, qui res à ſe geſtas tanta elegantia (quod Plutarchus adfirmat) conſcripſit, vt huius ampliãdę materiæ ſtudium ſumere ſibi nemo ſit auſus in poſterũ. fidem in hiſtoria ciuili à nonnullis ſcio deſiderari; dictionem quoque eius ab imperito aliquo nebulone imperitè iam video interpolatam, pannos ſæpè huic purpuræ inſitos. veruntamẽ, quod ex parte præcipuè nunc ſpectamus, hic de exercitu (vt Tullij ſententiam vſurpem) de caſtris, de agminibus, de ſignorũ collationibus, de oppidorum *Plu. in Cæſ.* *De Cæſare noſtra ſententia.* *Cic II de orat.*

oppugnationibus, de commeatu, de inſidijs faciendis, de reliquis rebus quæ ſunt propriè belli adminiſtrandi, ſententiam tibi feret quiſquis es Imperator. & ſi ab ea prouocaueris, cerebrum profectò non in capite, ſed in calcaneis geris.

Curtij hiſtoria proba. Cæſari comitem do Q. Curtium, quem adeò inter ſelectos recenſere non dubito, vt inter optimos locum illi fidenter tribuam. Velleium, *Non vſquequaque Velleij & Ioſephi.* quâ res tractat ſui æui, à veritatis orbita deflexiſſe ſcio. Ioſephum ſæpius cum ſacrarum litterarum autoritate pugnare rectè monuiſti: quomodo etiam à ſeipſo interdū diſcrepet, vel aliis certioribus teſtimoniis erroris arguatur, obſer- *C. Bar. An. tom. I.* uauit diligenter Cæſar Baronius, cuius ſcrinia non compilo. vos adite & lucem petite ab hoc ſole. nec ideo tamen eos omnino ſpernite: nec has culpas aſperè nimis illi luant. nam Velleius aliàs diſertus & induſtrius: Ioſephus adeò lau- *Epiſt. XXII.* datus ſcriptor, vt Hieronymus honoris cauſſa Liuium Græcum eum appellet. In hiſtoria Eu- *De Euſebij hiſtoria ſententia noſtra.* ſebij plurimos eſſe næuos non me latet, veſtigia quoque Arianiſmi paſſim noto, magni tamen laboris, variæ lectionis eum fuiſſe, nec leue omnino (præſertim in Chronicis) in tāta lectionis & rerum varietate illius eſſe iudiciū, ab æquo quoque iudice nullo negotio impetraturū me confido. Sozomenum à Gregorio damnatum video: attamen cùm ea quæ de Theodoro illi *Item de Zozomeni & Socratis. Coniectura in ſcriptis Gregorij.* Pontifex obiicit, nuſquam in ſcriptis Sozomeni repererim, æſtuo, nec ſcio an emergam; deriuaturus certè libenter ſi liceat, in Gregorij exſcriptores hanc culpam, quoſ pro Theodoreto Sozomenum ſcripſiſſe, nō abhorret à vero. Theodoreti

doreti certè verba ſunt, non Sozomeni, quæ Gregorius retulit. nihil enim de Theodoro ſcribit Sozomenus, quàm eum Libanij diſcipulum fuiſſe, ac tandem litteris ſatis inſtructum, Mopſueſtiæ Epiſcopum creatũ. At Theodoretus nedum præclarum, ſed omnium Eccleſiarum doctorem & hæreticæ cohortis profligatorem fuiſſe adſerit. verùm vtcumq; hæc ſeſe habeãt, nec ego Sozomenum à culpa planè liberum præſto; aut Socratem quoque probatę fidei eſſe confirmo. Nouatianorum certè macula (vti rectè Bernartius monuit) ambo maculati, cùm alias, tum certè apertiſſimè in gratiam Nouatianorum mentiuntur, quòd conſtitutionem Nectarij de abrogãdo Presbytero pœnitẽtiario ab omnibus ferè Orthodoxis Pontificibus receptam fuiſſe adſerant, vti nedum ex Gregorio Nyſſeno, doctiſſimo viro, qui eodẽ tẽpore, quo Sozomenus & Socrates hęc accidiſſe impudentiſſimè tradidere, viuebat; ſed Iohanne etiam Chryſoſtomo Nectarij ſucceſſore aliiſque manifeſtiſſimè conuincitur. neque tamen deſunt interim alij melioris notæ hiſtorici: eſt Euagrius ſcholaſticus, eſt Nicephorus, eſt Caſſiodorus, eſt Marianus, deniq; vt ad noſtros veniam (neque enim omnes recenſere propoſitum) Cæſarem Baronium (modò citatum) adeò ſupra omnem nouitiam & ad priſcam laudem iudico, vt palmam eum omnibus erepturum exiſtimem qui in Eccleſiaſtica hiſtoria hactenus quicquam tentarunt. De Pauli Iouij capite Quirites in ſuffragium iuiſſe video: & ſi calculos numerem, nigros pluſculos reperiam. nec ego patronus

Soz. lib. VIII cap. II.

Theod. lib. V. cap. XL.

Mendacium Sozomeni & Socratis.

Soz lib. VII cap. XVI. Socrat. lib. VI cap. XIX.

Greg. Nyſ. epiſt. ad Let. Mel. Epiſc.

Chr. hom. LXXXIII & XXXIII in Math.

Probi nonnulli hiſtorici.

Annales Baronij cõmendati.

De Paulo Iouio noſtra ſententia.

huic reo; hoc ſolum moneo, ſi gratia quorundam, lingua aut calamus eius ſæpius titubauit, non debere vos ideo putare in omnibus eum tam vanum, vt temerario illi iudici credatis, qui Iouij hiſtorias cum Amadiſi fabulis componit: nimis acerbè, nimis vanè, & hyperbolicè. ſtilum certè eius & ſcribendi methodum non culpabit quiſquā inculpatus. Franciſcus Guicciardinus iudicia magis prona, magis amica experitur: & ſuffragantur nedum pedanei Senatores, ſed plerique etiam Conſulares. nec ego interceſſionem paro. Noui etenim hunc virum à Leone x. Pont. Max. legionibus ſacris & prouincijs Eccleſiaſticis cum ſummo imperio præfectum, nec ea propter inidoneum iudicem. video quoque ab adfectibus immunem fuiſſe (ſi planè ab odio) vtilia certè Prudētię cādidato monita quę ſæpius interſerit, non negabit niſi imprudens. Philippum Cominæum Guicciardino adiungo, imò in parte prępono. etenim aut in Repub. adminiſtranda, aut in bellis, aut in maximis legationibus obeundis magnam ætatis partem conſumpſit hic Philippus, & in ſcribenda hiſtoria, iudicio grauiſſimorum virorum, ſuos æquales, atque haut ſcio an pleroſque veteres quoq; hiſtoricos ſuperauit, certè adæquauit. Quis niſi impudens igitur huius forcillet fidem? Sed diffundor, cui ſolum hoc propoſitum, non deeſſe hiſtoricos qui veram hiſtoriæ viam firmo pede calcarūt: non poſſum tamē quin inter recētiores Paulū Æmiliū, inter mediæ ætatis ſcriptores Nicetam Choniatem in manu ſinuque cottidie habendos Politico commendem. Et quia Nice-

De F. Guicciardino.

Hiſtoriæ P. Cominei vera laus.

De Paulo Æmilio, Nicet. Cho. ſententia.

Nicetam nedum de viſu, ſed auditu fortè non noſtis, haut probas vobis obtrudi merces opinemini, non me, nec aliquem dilutæ auctoritatis ſcriptorem, ſed ocellū & decus Belgicæ audite. *Nicetes Choniates* (inquit) *res Græcanici Imperij ſcripſit, orſus à Iohanne Commeno Alexij F. ad vrbem captam, ſiue ad Balduinum Flandrum. Is parum adhuc vulgo notus fateor, ſed digniſſimus notitia, purum rectúmque ingenium ſi aliud illo æuo. Stilus eius operoſus, poëtas & Homerum ſæpe reſipiens, at res & narratio ipſa diſtincta, compoſita ſine vanitate, ſine ineptijs, breuis quod ſatis ſit & fida. Crebra apud eum & opportuna monita, iudicia non libera ſolùm, ſed ſana. Ad ſummum, legite vos Politici, gratiam mihi aliquis pro iudicio habebit, certè debebit.* Dixerat Huyſmannus, & conuerſus ad Varicium, adhuc ne fluctuas, inquit, an terram tangis? adſpicio certè, reſpondit Varicius, & in portu eſſem, ni turbaret adhuc imbricitor aliquis Auſter, quem remoue, mi Huyſmanne, & doce quî vitem ſcopulos peſſimorum exemplorum in hiſtoria (vti Bernartius adſerit) latitantes. Non te turbet hic ventus, inquit Huyſmannus: vnica eum nec mutata velificatione facilè vitabimus. Principum vitia, inquit Bernartius, & improbos quoſque mores diſtinctè hiſtorici notant: & ne ex peſſima & tamē larga ac obuia hac ſegete aliquas ſpicas improuidè colligat lector metuit. videtur certè ſpeciem primorem veri hoc eius iudicium habere: ſed ſi admouere lineas (quod dicitur) occepero, næ ille vertet conſiliū? faciet certè. & voces has eorū cognoſcet, quibus natura eſt, vt ſanctus quidā vir ait,

Lipſ. ad 1 x cap 1 Polit.

terrere paruulos,& angulis garrire tenebroſis. Tanta eſt enim tamque excellens veræ virtutis vis, vt ab hoſtibus quoque egregiam dignitatis confeſſionem exprimat. Omnes nati ſumus ad decus ac honeſtatem;& quamuis peſſimis moribus imbuti,virtutem tamen laudibus efferendam iudicamus. nec vllus eſt adeò omnibus flagitiis coopertus,nullus tam incultus aut horridus,aut tam immanis aut Barbarus, qui non ad illuſtre nomen apud poſteros obtinendũ egregiá ſed ficta virtutis imagine relata, laudem auidiſſimè conſectetur. audax & temerarius fortitudinis nomine gaudet,propudioſus Chilo aut nepos in omni libidine tetre & impiè volutatus tenebras quærit, prodigus liberalitatis, auarus frugalitatis,ignauus modeſtię, ſegnis prudentiæ ſpeciem prætexit.eximiè eximius ille Tragicus:

Virtus vltro ſe ingerit.

Etiã ab impiis ſuſpicitur.

Et prætexitur.

Sen. Trag. Hippol.

O vita fallax! abditos ſenſus geris,
Animiſq́, pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat,audacem quies,
Pietas nefandum,vera fallaces probant.

probant certè. neque aliquis eſt tam ſceleſtus ac flagitioſus, qui virtutis lumẽ non videat, etſi id non ſequatur: qui non ſuſpiciat fidem, continentiam,animique excellentis magnanimitatem: qui ſicuti ſolem lucere, ignem calere ſentit,ſic veræ virtutis excellentiam etiam inuitus non admirandam exiſtimet: quem,cùm turpitudinis illecebra delinitus,aut alia quauis animi perturbatione concitatus flagitium commiſit, poſt ſuſceptum ſcelus intemperantiæ ſuæ non pœniteat: qui confuſam vitam & perturbatam non agat,tantum metuit,quantũ nocuit. Quòd ſi vel-

In ſcelere ſceleris ſupplicium.

ſi vellem exemplis pugnare, infinitam multitudinem proferre poſſem: duobus contentus ero. Quis videtur Dionyſio ſuperior? omnium ſcelerum libidinumq; maculis maculoſiſſimus, inquies. in eius tamen animo tam ſpurco ac immani, fidei ac conſtantis animi & veræ amicitię ſplendidus ſol radios extendit, & ſingularem in duobus Pythagoricis fidem adeò coëgit ſuſpicere, vt exclamaret, *Vtinã & ego vobis tertius amicus adſcriberer*. Iam verò Tiberius Cæſar nunquid extra aleam fortunæ poſitus impunè graſſari poſſe videbatur? & ſine vllius pœnæ metu, quicquid impotens cupido ſuadebat, perficere? tantus tamen Imperator pudore ſcelerum ac libidinum latebras tandem in remota quadam inſula quęrere coact⁹ eſt. ſed fruſtra: ſenſit enim tortorem qui vreret, ſecaret, lancinaret, eoque graui⁹, quòd ſine morte: & poſtremò ſemetipſe (vt Tranquillus ait) pertæſus, tantum non ſummam malorum ſuorum profeſſus eſt talis epiſtolæ ad Senatum ſcriptæ principio: *Quid ſcribam vobis P. C.? aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dij me Deæq́; peius perdant, quàm perire me cottidie ſentio, ſi ſcio*. adeò (ſubiicit Tacitus) facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. neque fruſtrà præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniatus & ictus, quãdo vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuáſque ipſe pœnas fateretur. Subſcribit plena

Suet. Tib. LXVII.

An. IV.

Sen.epiſt. XCVIII. na cera Romanæ Prudẽtiæ ſol, Prima (inquiẽs) & maxima peccantium eſt pœna peccaſſe. nec vllum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerſio eſt quã natura damnauit. ideo nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. proprium autem eſt nocentum trepidare. malè de nobis actum erat, quòd multa ſcelera legem ac iudicem effugiunt, & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia & grauia de præſentibus ſoluerent, & in locum pœnitentiæ timor cederet. & egregiè egregius ille Satyrarum ſcriptor:

Conſcientia flagrum poſt peccatum.

Iuuenal. Sat. XIII.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori. Prima eſt hæc vltio, quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur: improba quamuis
Gratia fallacis prætoris vicerit vrnam.

& ibidem:

——————— *Cur tamen hos tu*
Euaſiſſe putes, quos dira conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Interpellauit hîc Lixbõnæus: longũ hoc tuum, imò alienum anteloquium, mi Huyſmanne, inquit. imaginarium tibi ſtadiũ extruere videris; & demiſſa Bernartij noſtri vera mente, aliam oppugnare. imò propriam, ſubiecit Huyſmannus. etenim cùm docui nũquam in hominibus, quãtumuis dedecore, flagitio, turpitudine contaminatis, adeò ſenſum honeſtatis extingui, vt

non

non inuiti decoris & virtutis excellentiam laudibus in cœlum tollant, nec ſine acerbiſſimo ſenſu doloris ferant ſe ſuorumque nomen indelebili macula maculari, æternaque labe fœdari; numquid perorata hæc lis eſt? nunquid in confeſſo adeò non egredi officij metas hiſtoricos qui principum aliorumque vitia notant, nec bonos modò veræ laudis lauro coronăt, ſed malos quoque iuſtiſſimis poſteritatis maledictis obiiciunt; vt (Tacito ſuffragante) præcipuo Analium munere fungantur, dum curant vt prauis dictis factiſque ex poſteritate & infamia metus ſit? docentque quàm ſtultum ſit credere pręſenti potentia poſſe etiam ſequĕtis æui memoriam extingui; & quàm ridiculum exiſtimare, quia in præſenti hoc rerum ſtatu, metu omnes muſſitant & tacent, ideo poſteritatem ſcelera poſſe latere: contra ipſius veritatis naturam; quę talis eſt, vt quamuis omnes illam oppugnĕt, ac nonnũquam omne veriſimilitudinis genus aduerſus eam pro mendacio ſtet, neſcio tamen quomodo ipſa per ſe in animos hominum ſe inſinuat: ac interdũ quidem ex tempore quàm ſit potens oſtĕdit, interdum verò, poſtquam diu tenebris obtecta fuit, tandem ipſa per ſe præualet, & ipſum mendaciũ expugnat. nec eſt quod metuas ne infamiæ hoc telum violentum ſatis ſit, conſultiúſque iudices quàm longiſſimè à vitiorum exemplis recedere. neque enim nuda illa hiſtorici proponũt, ſed mercedem vitiorum vnà tibi ingerunt; vt quorum exitum reformidas, eorum vitã deteſteris. deſcribũt tibi hiſtorici Sardanapalum inter ſcortorũ greges purpu-

Hiſtorici recte obſeruăt vitia.

Annal. III.

Nam infamiæ metum iniiciunt.

Pœnam quo deterreare adiiciunt.

Sardanapali punitio.

 ram

ram colo nentem, & muliebri habitu penſa inter virgines partientem: ſed ijdem illi mox quàm fœdũ hęc fœda voluptas exitũ habuerit, tibi ingerent: & mollé hanc vitam nedũ Pyrauſtæ gaudium fuiſſe, nec lacrymas modò & angores eam manſiſſe, ſed ferrum & flammas docebunt. Siculum illum tyrannum ſtupra, rapinas, cædes multis annis pro ludo habuiſſe alibi

Itẽ Dionyſij.

leges: ſed magnum illum regem mox à regno ad ludum detruſum, pro ſceptro ferulam gerere videbis. Caligulam templum, ſacerdotes, & hoſtias ſibi inſtituiſſe, neque ſuæ neque alienæ pudicitiæ peperciſſe, nepotinis ſumptibus omnia prodigorum ingenia ſuperaſſe, ludere & laſciuire in ſanguine humano ita ſolitum, vt quereretur palàm, quòd nullis calamitatibus publicis tempora ſua inſignirentur, atq; adeò exclamaret, *Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet*; in Tranquillo aliiſque notabis:

Item Caligulæ.

ſed ſimul non ſimplici eum morte, ſed triginta plagis confectum inſtar feræ in ſanguine ſuo volutatum tãdem audies. Tiberium Neronem nullum neceſſitudinis genus non ſcelere perculiſſe, nullum adhibuiſſe delectum aut interimendi quoſcumque libuiſſet, quacumque de cauſſa, nulli delegaſſe officium vt nõ adiiceret,

Suet. Ner.
Item Neronis.

Scis quid mihi opus ſit, & hoc agamus ne quis quicquam habeat, hiſtorici referunt: ſed ijdem illi tyrannum hunc nudo pede, adopertoque capite fugientem, & aliquem percuſſorem, cuius manu periret, anxiè requirentem, nemineque reperto, *Ergo ego nec amicum habeo, nec inimicum?* miſerè exclamantem, tandemq; propria manu

ægre

ægre mortem inuenientem depingent. Domitianum in omne hominum genus ferarũ more graſſatum, dominum ſeſe deumq; dici coëgiſſe audies: ſed monſtrum hoc inter coniuratorum manus quoque fœdè confoſſum intelleges. Commodum libidine, auaritia, crudelitate fœdiſſimum notabis: ſed eũdem ad extremum in balneo compreſſis faucibus expiraſſe, & palęſtritæ manu miſerè periiſſe, obſeruabis. Heliogabalum turpiſſimum omnium libidinũ mancipium fuiſſe, probriſque omnibus ſe contaminaſſe intelleges: verùm vnà quoque audies portentum hoc tumultu militari interfectum, corpus per vrbis vias à milite tractum, & in Tiberim tandem, adiecto pondere ne vnquam emergeret, proiectum, omnibus acclamãtibus, *indomitæ ac rabidæ libidinis catulam fuiſſe*. Denique, ne longiùs euager, reuolue hiſtoricos, & intelleges, neminem ſcelus in pectore geſtare, qui non idem Nemeſim in tergo: nunquam in primo vitæ actu ita florere impium, debacchari tyrannum, vt in extremo fœdè non ruat; pœnas ſpectabiles aut apertas in ſe aut in ſuis nõ luat. lege hiſtorias, & notabis quod de oppido decima Muſa, de omni ſtatu rectiſſimè dici:

Item Domitiani. *Item Commodi.* *Et Heliogabali.*

Si incolæ bene ſunt morati, pulcre munitum arbitror: *Plaut. Perſa.*
Perfidia & peculatus ex vrbe & auaritia ſi exulant:
Quarta inuidia, quinta ambitio, ſexta obtrectatio,
Septimum periurium, — octaua indiligentia,
Nona iniuria, decimum, quod peſſimum aggreſſu, ſcelus:

Hæc

Hæc niſi vnde aberunt, centuplex murus rebus
ſeruandis parum eſt.

Quandoquidem ſemper

——— ——— *quiſquis eſt placidè potens*
Sen. Trag. Herc. fur. *Dominúſque vitæ ſeruat innocuas manus,*
Et incruentum mitis imperium regit,
Animóque parcit: longa permenſus diu
Felicis æui ſpacia, vel cælum petit,
Vel læta felix memoris Elyſij loca.

At contrà,

Idem Med. *Iniqua nunquam regna perpetuò manent.*

Senec. Phil. Quinimo *Tyrannorum execrabilis ac breuis poteſtas eſt.* ſemperque (à Platone veriſſimè ſcriptum) * ἀκόλουθος τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία. ô igitur verè vitæ hiſtoria dux ac magiſtra! virtutum parens ac nutrix! vitiorum expultrix! Quod eſt ingenium tantum, quæ tanta facultas & copia, quæ vel ex parte fructus tuos non modò augere atque ornare, ſed aut memoria conſequi, aut dicendo queat complecti? ſcrutamini iuuenes ingenui, & ſolũ hoc fertile adſiduè (vt ſic dicam) diligentiæ vomere inuertite: probũ nec æquilauium, ſed purum putum inuenietis Prudẽtiæ aurum. Interiunxit hîc paullum Huyſmannus, deinde iterũ ſic occepit: profligaui opinor primam frontem Bernartiani exercitus; iam contra triarios vſum validè defendẽtes explicemus copias. non parum adiumenti adferre, imò maximum momentum habere ad Prudentiam hanc ciuilem vſum, inquis Bernarti; conſultiſſimumque ad eam comparandam exiſtimas, vt homo ex ratione ingenij, fortunarũ, ſtudiorum ſuorum, atque cõditione locorum, hominum, atque

* Subſequa iniuriæ pœna.

Quæ pro vſu dicta refutata.

atque temporum,quæ ad vitæ curſum dirigendum conducunt obſeruet. Non eo planè infitias Bernarti, nec Prudétiam, quá vſus largitur, flocci vel hettæ facio, ſed velut ſcalpello rectæ rationis tantũ circũcido. & cum Seneca fateor tardum eſſe ac variũ quod vſus docet: & quod à Principe Philoſopho accepi,tibi ingero:*πλῆθος γὰρ χρόνου ποιήσει τὴν ἐμπειρίαν. & quidé longinquitas tam lõga,Bernarti,vt Poëta ſcripſerit,

——— *Seris venit vſus ab annis.*

Vſus plane ſerus. *Sen. epiſt. CXXI.* *Ariſt. Eth. VI cap. VIII.* **Vſum quippe temporis longinquitas demum adfert.* *Ouid. VI. Metam.*

Quo poſito; tutiorem,tritiorem,magiſque obuiam ad Prudentiam viam eſſe hiſtoriam profiteor. Et ſicuti Eudamidas olim cùm in academia Xenocratem iam quinquageſinarium diſcentem & cum diſcipulis etiam differentem vidiſſet,& ex adſtãtibus audiuiſſet illũ ex eorum numero qui virtuté quærerent, ſubridens dixit; *Ecquando ea vtetur, ſi id ætatis adhuc eam quærit?* ita cùm legitimæ hiſtoriæ hoſtes ſolum vſum ſibi placere iactitant, auream illam Romani Sophi ſententiam libenter vſurpo: *Quæ tam ſtulta mortalitatis obliuio, in quinquageſimum ac ſexageſimum annũ differre ſana conſilia; & inde velle vitam inchoare, quò pauci perduxerunt?* Spatium humanæ vitæ longiſſimum Iuriſconſulti noſtri C annorum ſpatio circumſcribunt. Plato primum & octogeſimum annum legitimum vitæ noſtræ finem adſerit. Solon octogeſimum, multi quintum & ſeptuageſimum. Et quid refert pauculos annos addere vel demere? cùm quilibet facilè perſpiciat (qui modò tenebris non eſt oppletus) etiamſi vſque in vltimæ ætatis humanæ terminos quis proceſſerit, licet horas ſuas

Nec ideo expectandus. *Senec. de breu. vit. cap. IIII.*

ſuas auariſſimè ſeruet, licet nihil facilitate eripi, nihil negligētia patiatur excidere, memor ſemper probæ ac laudatæ Democritis ſentētiæ, *πολυτελέςατον ἀνάλωμα χρόνος; tamen ad Prudentiam ſolo vſu acquirendam, non dico ad vſum trāſferendam, nimis hominem eſſe mortalem. Nec vnquam ita quiſquam (vt Terentianus ille Senex conqueritur) bene ſubducta ratione ad vitam fuit, Quin res, ætas, vſus, ſemper aliquid apportet noui, Aliquid moneat, vt illa quæ te ſcire credas, neſcias, Et quæ tibi putaris prima, in experiūdo repudies. Ea certè ratione, quòd fieri nequeat, vt ſolo vſu tantillo tempore prudens euadas, varios ac mutabiles, fragiles ac momentaneos humanarum rerum caſus obſerues. Prothaſin interdum fabulæ ſpectare tantùm datur, non cataſtrophen. etenim cùm longiuſcula ſæpius ſit Tragœdia, nō patitur nos perſedere tam diu in hoc theatro violenta illa diua quę omnes violat. aliquando in lucem venimus, aut certè ſapere per ætatem incipimus, cùm iam velut ad extremum fabulæ actum ventum eſt, nec quid ſibi velit non audita periocha percipere poſſimus. Proprium hoc eſt & peculiare circumſpecti hiſtoriarum lectoris. huic vni datum nedum prothesin aut epithaſin ſpectare, ſed etiam cataſtrophen: nec vnius ſæculi (quo concluditur vſus) ſed omnis æui res geſtas ſcire; & quicquid in orbe terrarum, ex quo ille conditus, actum fuit, memoria tenere. hic vnus cum Plautino ſeruo ire poteſt odorans quaſi canis venaticus, vſque donec perſecutus volpem erit veſtigijs. hic ille eſt qui apes imitari poteſt, & verum Pruden-

*Sūptuoſiſſima iactura tempus.

Demea Adel.

Spatium humanæ vitæ quàm breue.

Hiſtoriæ fructus maturiores.

Prudentiæ mel ex omni populorum gentiumque flore exſugere; quæ ex varia lectione congeſſit, diſtincta ſeponere, & demum, adhibiti ingenij ſui cura, varia illa libamenta in vnum ſuccum confundere, & ex iiſdem cauſſis pares exitus tanquam diuinus vates prædicere, præſentia iudicare. CIRCVMSPECTI dixi lectoris; nec temere id à me poſitum: non enim cuiuſuis, ne erres. nec enim tam in procliui ea res, quàm imber cùm pluit, ait ille. Quinimo vt intemperantibus nihil proficit alimentum; ita ad pleroſque ex lectione hiſtoriarum vtilitas prorſus venit nulla. multi etenim amant hiſtorias, ſed ita vt vana pleraque in iis mirentur aut externa, veros ac legitimos fructus negligant. hiſtorias legunt, ſed legunt tantũ, & ex omni hiſtoria nihil amplius quærunt quàm vt ocia fallant, ſicuti plurimi teſſeris aut pilis. Alij vti Athenienſes (quod ſcitè olim illis obiecit Anacharſis) nummis duntaxat ad numerandum vtebátur, ſic illi hiſtoria ad pompam ſolùm, non ad vſum. anxiè inquirunt, & in id ſuperciliũ ſubducunt, vtrùm Roma ante Romulum fuerit condita; quot annis Aeneas cùm ſuis errauerit anteaquã in Italiam appelleret; vtrùm Superbus Priſci regis filius fuerit, an nepos; quis primus authoritate Senatus iniuſſu populi triumphauit; cur Auentinus vnus ex ſeptem collibus Romanis pomœrio non fuerit incluſus ante Claudium Imperatorem; & eiuſdem notæ alijs tricis: nec flexu modò & tanquam à ſtudio ad otium (quod non improbo, nec inter miſſiones hoc agi reprehendo) ſed recto rigore, ac certa, vt ſic dicam, linea,

Vtiliſſima ergo hiſtoriarum lectio.

Modò nucleum quæramus.

Non putamina.

Vt multi Philologiæ ſolum addicti.

&

& tanquam ab otio ad ſtudium, nec in limine modò (quod in exordio probaui) ſed omni ſtudiorum curſu tendunt ad leuem hanc metam. dictorum factorumq́ue illuſtrium adeò nulla cura eſt, vt quiduis potiùs agant, quã id agant. ô nugiuendi! tranſite aliquando ad meliores curas, nec inſtrumẽtum vitæ maximè ſerium vertite in ludum aliquem nugarum. Apinas hæc eſſe & trichas (vt in prouerbij ludicro eſt) agnoſcite: ad adyta properate, nec in aditu totã ætatem conſumite. nauim mihi ab argutiarum illis ſalebris auertite, & velificationem õmnem ad veræ Prudentię portum dirigite. vberrimum hiſtoricorum audite. Ad illa (inquit) mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerunt: per quos viros, quibúſque artibus domi militiæq́ue & partum & auctum Imperium ſit. labente deinde paulatim diſciplina velut diſſidentes primò mores ſequatur animo. deinde vt magis magiſq́; lapſi ſunt, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſimus, peruentum eſt. hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri. inde tibi tuæq́ue Reipublicæ quod imitere capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites. Aurea profectò, & Liuio noſtro digna præfatio. vos eam admiſſam non in aures ſolùm, ſed in animum re & opere exprimite, & veram hanc ad Prudẽtiam ſemitam non vacillante ſed firmo pede peragrate. ſcitote hanc illam eſſe Prudentiam quæ vigiliis augeſcit,

Qui iure reprehenſi.

Liu. lib. 1.

Spectanda in lectione hiſtoriarum exempla & conſilia.

geſcit, & cui ſubinde ceu fluminibus ex decurſu ſic accedit ex varia lectione minutatim quo fiat vberius. nõ adſpecta hiſtoria ſtatim continget, ſed inſpecta. opulentiſſimis ſiquidem metallis ſimilis eſt, adſiduè magis reſponſura fodienti. vos inquirite, conſilia, dicta, facta obſeruate, & ex iis bene ſentiendi, bene dicendi, ac bene agendi præcepta colligite. Quod nonnullos etiam facere ſcio, ſed cum irriſu magis ſuo quàm vſu. Sicuti viri docti in aliis artib⁹, vt memoriæ conſulant, locos communes certo quodam ordine componunt: ſic illi ex omnibus hiſtoricis laborioſè dictorum factorumque conficiunt commentarios, ſed conficiunt tantùm: & ſicuti cerui fruſtra ingentia cornua habent, cùm deſit animus; ſic illi Prudentiæ hanc ſupellectilem, cùm neſciant vti. quolibet momento nil niſi præclaras præclariſſimorum hominum ſententias, & exemplorum ſtrepent multitudinem, ſed ſtrepẽt tantùm. Quid, quare, quomodo, quãdo, quo rerum ſtatu dictum, factum, non curant; dictum, factum, tantũ ſciunt, & arenam hanc, quod dicitur, ſine calce cum vulgi admiratione eruditorũ riſu paſſim ſpargunt: & cùm omnia fecerint miſelli nihil conſecuti ſunt, quã vt loquentiæ multũ habeant, Prudẽtiæ parum. Si ſerium aliquid ac graue proponatur diſcutiendum; neque exordiri primùm vnde occipiant habent, neq; ad detexundum telam certos terminos. ô verè * λευκῷ λιθῳ λευκὴ στάθμη! vos aliter; & licet pręclara multa legeritis, in aditu Prudentiæ vos adhuc hærere credite, adyta nunquam viſuri, ſi temere & cum impetu quodam

Non vulgi more.

** In albo lapide alba linea.*

Sed prudentum.

dam ábſque maturi iudicij trutina res illas antiquas ad noſtras nouas velitis accommodare. abſit. ſed ſicuti prudẽs medicus priùs quàm conetur ægro adhibere medicinam, non ſolũ morbi eius cui mederi volet, ſed conſuetudinem etiam valentis, & naturam corporis perſcrutatur; ſic vos ex hiſtoriæ hoc theſauro nihil depromite quo certum concludatis, &, vt antiqui Ic^ti loquebãtur, ſignetis reſpóſum, niſi cùm re tota cum omnibus circumſtãtiis bene perſpecta rei etiam cauſſam bene inueſtigaueritis. Quã probam intellegentemq́ue mentem vt vobis æternum illud Numẽ duit, ex animo voueo & rogo; ſimulq́; (vti receperam) ad Theoricen tranſeo.

Abrupti ſermones. Interfatus hîc ego, mitte, obſecro mi Huyſmãne, inquã, mitte: nam ferrum potiùs recipiam, quàm hodie amplius decertem in hac cauea. Huyſmannus ſubridens, his ſupplica, inquit (digitum in Varicium ceteróſque intendens) nam mihi aduerſario ſeruandi nullum ius. interueniens Lixbonnæus, nullus, vt video, pollicẽ vertit, inquit: in craſtinum itaque Bernartio diludia danda ſentio. tu rudem accipe Huyſmanne, hoc prælium bene pugnaſti. & ſimul omnes ſurgebant. *Et dilati in ſequentem diem.* Quò vos iam? inquit Huyſmannus. domum, reſpondit Verannemanus: & certè, vt diei tempus eſt, vix veniemus luci. imo in cœna apud me eritis, ſubiecit Huyſmannus. non abnuentibus aliis, me iterum vince, inquam ego, victor: ſed ea lege, vt cras in prãdio omnes apud me ſitis, ſpectaturi nouum munus. quandoquidem iuſtam miſſionem denegatis.

I. Bernarti
DE VTILITATE LEGENDÆ HISTORIÆ
LIBER SECVNDVS.

SEQVENTI die ſereno valde, venit ad me ante conuiuij horam Lixbonnæus; & poſt ſalutē, litem, inquit, Bernarti ad tribunal defero, tu decidito eam Prætor. ego aſpernatus vultu, deſpue, inquam, ne mala nobis hodie ſcena hæc tua vox; Gratiarum hic locus, non litigij. ille ſubridens, placidum erit, inquit, in amœno litterario circo. verſabar hodie, imò vexabar in Gregorij IX hoc reſcripto: *Nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus.* decidit eccè clarè vſuraria macula maculatum creditorem recipientem quid præter ſortem, etiam tum quando ſuſcipit in ſe ſortis periculum. Quod tamē diſplicere noſti nedum doctioribus ac melioribus Iuriſconſultis, ſed etiam Theologis omnibus. Quorum communi calculo conſtituta ſententia, quoties, id quod eſt vltra ſortem, non præſtatur propter ipſum mutuandi officium, ſeu nudum pecuniæ vſum, ſed propter aliam iuſtam cauſſam, periculi videlicet contra naturam mutui ſpectantis ad creditorem, non contrahi vſurariam labē. æſtuo, Bernarti,

Coniectura noſtra in c. vlt. de vſuris.

Nauar. in Man. lit. de vſur. circa camb. §. 1. n. CXVII. Interp. Tho. ad IV Sent. Diſt. XV.

narti,nec cuneum reperio huic nodo:tu, quęſo, mihi Caſtor aut Pollux. æſtuas meritò, inquam ego, nec mihi adeò prõptum te liberare, vt verear, ne & ipſe hæream in hoc vado. pleroſque leuiter ſcio diffungi,& illis ſubſcribere qui aſſerunt Pontificem loqui non de vero aut probabili periculo,ſed quãdo citra probabile dubium pretexitur periculi ſuſceptio, vt hoc colore quęſito, qui nullum iuſtum metum damni habet, certus ſit de conuento lucro. verùm quod more maiorum liceat,non verebor ego exclamare:

DD communiter in d. c. Nauiganti.

Gerræ germanæ, atque ædepol lyræ lyræ!

Plaut. penul.

Etenim cùm receptiſſima Iuris regula ſit, [a]facta non eſſe præſumenda niſi probentur, aut de iis conſtet; ſimulare verò periculum facti ſit: non video quo acumine,cùm adeò non verbum, vt ne apex quidem reſcripti inſinuet de ſimulato periculo hîc agi, illi tam liberaliter hoc ſumunt vt datum: idque ineptiùs (ignoſcant viri docti) cùm ſciant legiſlatoris officium eſſe ſemper definire aliquid dubij, nõ id quod certum eſt, nec admittit dubitandi rationem. quo poſito, cùm notum iis ſit,qui primoribuslabris Iuriſprudentiam guſtarũt, [a]ſemper plus valere quod agitur, quàm quod ſimulatur; certè omnes qui cor habent, non dubitabũt quin hic ſimulator vſurariis ſit adſcribendus. nec video quid Pontifex conſulẽti potuiſſet reſpõdere, quàm illud Ic[ti]: Aut non intellego quid ſit de quo me cõſulueris, aut vade, ſtulta eſt cõſultatio tua. plus enim quàm ridiculum eſt dubitare an ille qui ſimulat quod nõ eſt, culpa vacet. Quid dicemus igitur?non ego,cùm Conſulares fluctuant de plebe lit-

[a] l in bello § facti. de cap. & poſt. l ad ſeueratio. C de non num. l. fine. C. de probat.

[a] l. cõtractus l IV de obl. & act. tot. tit. C. plus val. quod ag.

be litteratorum, interponam decretorũ ſtilum; nec, cùm Æſculapij hæreât, tam improbus ero, vt curationes æger obeam; ſed tanquã in eodem tecum valetudinario iaceam, de communi malo tecum colloquar, remedia communicabo, conuertamus, quæſo, intentiùs omnem aciem ad reſcriptum mi Lixbonnæ, & ne Celſus aliquis nobis ingerat, Inciuile eſt, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare vel reſpondere; à capite ad vſque calcem illud examinemus. *Nauiganti* (inquit Pontifex) *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus. ille quoque qui dat* x *ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei mẽſuræ reddantur; quæ licet tunc plus valeant, vtrùm plus vel minùs ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitabatur: non debet ex hoc vſurarius reputari.* ſatis ne clarum hoc reſcriptum tibi videtur? neç vllam hîc agnoſcis exſcriptorum culpam? Quid verbum *quoque* apud omnes Latine loquentes ſignificat? nũquid *etiam*, *ſimiliter*? at quid audio? ille qui recipit aliquid vltra ſortẽ, eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, eſt vſurarius: ille etiam, ille ſimiliter quid dat decem ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, non debet ex hoc vſurarius reputari. non tu euigilas? num faces admouendæ ſunt? monſtri ſimile, vno eodemque loco adfirmare hunc vſurarium eſſe, illum ſimiliter non eſſe. non vides, adeò hîc non eſſe ſimilitudinem, vt clara in ipſo textu ſit contradictio? non pellet ſanè, me

 iudice,

iudice, has tenebras, ſi verba mordicus retineas, ipſe Phœbus. Quid ergo? dicam; & modò contingat iudex aliquis ſeu potiùs arbiter qui non directum illud, *ſi paret*, ſed illud arbitrariũ, *quod æquius melius*, ſequendum arbitretur, ne ille mecum arbitrabitur negationem exſcriptorũ culpa expulſam? faciet certè: eáque interdicto, *vnde vi*, reſtituta quoque reſcribendum: *Nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius non eſt cenſendus. ille quoque eſt*. Quod ſi admittas, nihil noui introducetur, ſed cõſtituetur ſententia quam omnes eruditi iudicant veriſſimam; nec committes, vt interpretationem adferas quam & rideat ipſe Heraclitus, & reſcriptum ipſum à contradictione vindicabis. probaui ego certè nuper hanc meam medicinam clariſſimo Icto Antonio Sucquetio, Machliniæ meæ Syndico, cuius humanitas & doctrina magna mihi dũ viuam. Lixbonnæus ſubridens, perſuaſiſti & mihi, inquit, Bernarti, velim aliis. ſatis eſt, inquam ego, vt ſuadeam: pono hæc, non firmo. nec legis Valeriæ beneficium adeò non tollam, vt ęquiſſimo animo à me ad litteratos prouocari permittam. Quæ cùm ego dicerem, ecce puer nũcians hoſpites adeſſe. manum itaque Lixbonnæo inijciens, eamus, inquam. & ſimul cum Verannemano, Varicio, & Vosbergio intrauit Huyſmãnus, qui valet, inquiens, meus Bernartius? bene inquam ego, & malè. iſti Hercle orationi Oedipo coniectore opus eſt, ſubiecit Varicius. bene, inquio, quia vos video, quos ego amo, qui me amatis;

amatis; malè, dum recordor hodie me iterum mittendum in arenam. & profectò ſi Druſianos gladios rurſus ſumat Huyſmannus,

Cor colligatus vaſis expectat meum Plaut. Pſeu.

Vt exulatum ex pectore aufugiat meo.

Huyſmannus cum ſubriſu, firmare, inquit, Bernarti, Antonianis vtemur. nihil, inquam, agit qui diffidentem verbis ſolatur ſuis, ſi ad rem auxilium emortuum eſt. viuet, inquit, & practices Falerni auſteritatem dulci hodie tẽperabimus Theorices melle. lepida iſtæc ſunt memoratu, inquam ego: experiar eadem in vſu num aculeata ſint: verum modò eamus ad hortum. Quid iam ad hortum? ſubiecit Lixbõnæus ſubridens: mihi (quod ille ait) iam dentes dentiant. hem! inquam, adeò te illud poetæ fugit,

Ante focum, ſi frigus erit; ſi meſſis, in vmbra? Virg.

cõuiuas hodie habebitis floridas has Nymphas, & in vmbra prandebitis noſtri Alumni. ſimulq; intrauit puer quem ad Ambroſium Boonium, humanitate & doctrina ornatiſſimum adoleſcentem, miſerã. ego Booniũ amplexus, Quam vellem, mi amice, inquam, heri nobis adfuiſſes: hoc tamen opportunè, quòd hodie adhuc multa bona ex Huyſmanno poteris audire. iamque aderat puer cum naſiterna; nos iniuimus, lauimus, aſſedimus. Verannemanus oculos circumferens curioſo quodam adſpectu, en florum, inquit, herbarumq; copiam; quid moratur, quin antiquitatis & priſcorum rituum ſtudioſi, antiquo & priſco ritu cingamus pateram hanc purpureis his muneribus Floræ? planè tibi expeditum, Verannemane, ſubiecit Varicius, cõuiuio- Conuiuium.

De coronis menſarum diſceptatio. rum illas coronas è floribus fuiſſe? expeditum? inquit. profectò ſi ambigam, non cauſſam dico, cur præ me, Comici ioco, occiſa ſapere plus multo non videatur ſus dum manducatur. tu Vlpiano lux. videris quid cenſeas, reſpondit Varicius: Iuriſ- LXIX §.6. de aur. arg. leg. conſultus profectò aperte contra te ſtat, *Perueniamus*, inquiens, *& ad gemmas incluſas argento auróque. & ait Sabinus auro argentóue cedere. ei enim cedit, cuius maior eſt ſpecies. quod rectè expreſſum eſt. ſemper enim cùm quærimus quid cui cedat, illud ſpectamus, quid cuius rei ornādæ cauſa adhibetur, vt acceſſio cedat principali. cedēt igitur gemmæ fialis vel lancibus incluſæ auro argentóue. ſed & in coronis menſarū gemmæ coronis cedēt, vt hæ menſis:* ecce coronæ conuiuiorum aureæ, & gemmatę. quid ſtatuis in pugna tam manifeſta? pacem, inquit Verannemanus, quam facilè componam Coronæ aliæ libera Rep. ex ratione temporum. *Priſca republica dum moribus antiquis ſtetit res Romana*, viriſque coronæ è floribus foliiſque. Principum æuo dum libertas probitáſque vixerant, luxus inualuerat non Aliæ Principum æuo. coronæ ſolùm, ſed vaſa miniſtrandis cibis parata apud pleroſque ex auro. id adeò verum, vt vetandum S. C. fuerit. Tacitus id mihi ſuggerit, Tac. Annal. II. *Proximo*, ſcribens, *ſenatus die, multa in luxum ciuitatis dicta à Q. Haterio cōſulari, Octauio Frontone pratura functo: decretúmque ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret.* probè factum, ſed ſine effectu, mores praui leges bonas perduxerūt in poteſtatē ſuam:

Sen. Trag. Oct. *Illicita amantur, excidit quicquid licet.*

perrupit omnia ſepta iterum adeò luxus, vt tanquam de re vulgata publicè reſponderet Iuriſ-

con-

conſultus. nos Senecā mox audiemus, inquam ego; & cultum victumque non ad noua exempla componemus, ſed vt maiorum ſuadent mores; nec pecorum ritu ſequemur antecedentem gregem, pergētes non qua eundum eſt, ſed qua itur. Cyathum interim hunc ita ſpumantem mihi ipſi, inquam, (Lixbōnæum intuens) nam tu verus amicus, & amicus verus alter ipſe. ebibi; & Lixbonnæo tradens, exanclaui, inquio: tu vide ſodes, vt ſoluas in probo nummo, aut ſcribam tibi dicam. admiranti, vt videbatur inſolentiam vocum, *exanclare*, inquio, antiquis idem quod educere, exhaurire. Plautus Sticho: *Sen. de tranq. an. c. 1x de bea. vita c. 1.* *F. Lixbonnæus amiciſſimus nobis.*

Ne iſte ædepol vinum poculo pauxillulo
Sæpe exanclauit ſub merum ſcitiſſimè. *A Plauto lux.*

ſcribam dicere, idem quod in ius vocare. Terentius Phormione:

Ego te cognatam dicam, & tibi ſcribam dicam, *Item à Terētio.*
Paternum amicum me aſſimulabo virginis,
Ad iudices veniemus.

pax, inquit Lixbonnæus: ego bonæ fidei ſum, nec differam ſolutionem. Iamq; intulerat puer miſſum ſecundum; cùm ego, amiculi, inquio, pro opibus noſtris modeſtè fecimus ſumptum, non ampliter. Suum quemque decet. in aulis aulicè viuitur. Habeāt ſibi aulici ſuas aulas, ſubiecit Huyſmannus: nobis inter noſtros libellos quies & vita ſit, & fas extra ciuicos tumultus Tragico ex animo ſuccinere: *Votum noſtrum.*

——— O quantum bonum eſt *Sen. Trag. Thy.*
Obſtare nulli, capere ſecuras dapes!
Humi iacentem ſcelera non intrant caſam,
Tutúſque menſa capitur anguſta cibus:

Venenum in auro bibitur.

Iterum ad hiſtoriam reditum. Sed placétne, Bernarti, ad caueam redire? & hoſpites tuos quoque reficere, quod Varro inquit,

——— bene cocto,
Condito, ſermone bono?

ego commotior. dic ſodes, inquio, coniunctiſſimorum hominum hoc conuiuium cruda Metamorphoſi in Lapitharum vis conuertere? pugnam inter epulas exoptas? næ ego homo trioboli ſim, ſi id patiar. Huyſmannus largiore riſu, antiquarie, inquit, ita hoſpes tu in moribus antiquis, vel denique in Lipſij noſtri ſcriptis, vt neſcias in omni lætiori antiquorum conuiuio bina aut terna paria gladiatorum exhiberi ſolita? ego cùm exclamatione ſubita,

Effugi malum, repperi bonum. * ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον.

mirantibus reliquis, Achillis haſtam ſentio, inquam. Vna eademque manus vulnus opemque tulit. Conuiuij ego dominus, & in hoc munere immunis. imo, inquit Huyſmannus, ita ius, vt conuiuij dominus idem & munerarius. certè, inquam ego, munerarius, non auctoratus. ſilentibus reliquis, ſoluite, inquit Lixbonnæus, meũ Bernartium: ego ſuppoſiticius, & amici gratia in hũc diem me auctorabo. Medullitùs te amo, mi amice, inquã, & debeo FIDEI tuæ Aram. ſed quod auctoramentum tibi? nihil moror auctoramentum, inquit ille.

Plaut. Mil. *Nam in mala vxore atq; inimico ſi quid ſumas, ſumptus eſt:*
In bono hoſpite ac amico quæſtus eſt quod ſumitur.

animum tuum addictum habeam, rex ſum. ob-

ſtrictum habes, inquam, adamantino vinculo; quod non diſſoluetur, niſi ego ſimul. age, age, ſubiecit Huyſmannus cum ſubriſu, non amo haſtam vel rudem, decretoria ſumamus. Ah! inquit Lixbonnæus, ne ſæui tantopere. *Οἱ δὲ ἀνδρεῖοι ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύχιοι. ego prouoco. Hui! ſubiecit Huyſmannus, ante pugnam? non à pugna, inquit, ſed ab ornamentis. Heri in oppugnando tibi primas conceſſit Bernartius, & malè ſucceſſit. tu paratus venis ad inferendum ictum. aduerſarius vt ſumma habeat cetera, temporis certè vix ſatis habet vt tua tela depellat, vulneribus medeatur. ne dicā adhuc imponere auditorio tuam dictionem: dicis enim adeò ſuauiter, & peritè, vt aurium delinimentis omnes iudicij noſtri aculei nedum hebetentur, & paululum retundantur, ſed reuellantur, & extorqueantur. quo conſequeris, vt altera pars adhuc inaudita, multis iam præiudiciis in auditorum animis condemnata, cogatur quaſi conciliare cibū iis qui abhorrent. æquum itaq; cum quo ingenio minùs poſſum, ſubſidio mihi diligētiam comparaui, quanta ea ſit, tempore & ſpatio dato poſſit intelligi. tu verò multarum palmarum nobilis ac vetus gladiator, in arena (quod dicitur) conſilium capias. ego circumſpiciens, qui tacent, inquio, conſentire videntur: æquum poſtulas, mi Lixbonnæe, & omnium punctis actoris tibi partes adſignamus. Dum illi in ſtatu ſe componunt, ſubiecit Varicius, ego clarū hoc vinum claro, Vosbergio. & ego, inquit Vosbergius, accepta patera meo Lixbonnæo. èduxit: & Lixbonnæo tradens, age, inquit,

Ariſt. in Eth. ad Nicom.

** Viri fortes in opere acres ante id placidi.*

inquit, cum magna gloria vincit, qui cum periculo vincit. Lixbonnæus vix ſummo ore delibans, meditatione interpoſita, ſic infit:

Oratio Lixbonnei contra hiſtoriã.

Si mihi hoc tẽpore apud eos eſſet dicendum, qui cuicumque ſententiæ ſemel addicti, quaſique deditі mancipio ſunt, eandem tueri pertinaciter quo iure qua iniuria obſtinauerint; vel eos denique qui recto iudicio doctrinaque omni liberali deſtituti, an aliquid ſuis ac propriis efferatur laudibus, non communibus ac tranſlatitijs diſcernere nequeunt, ſed veluti nauis vacua ac inanis circumagitur in mari omni vento, ita politioris litteraturæ deliciis calamiſtris ſubdolè inuſtis, quacumq; oblata occaſione, aures & oculos ſibi compilari permittunt: in ipſo diſputationis noſtræ exordio valde laborandum cenſerem, vt animos adferretis quos ipſe expeterem, aut quibus maximè indigerem. Verùm quando eſtis ij, quos apud animum meum formaui, amatores veri, qui nedum diem in aprico, ſed dieculam anguſta rima diſpiciunt, adeoque opinionum fallaciis quaſi morbis animi præcipuis multo etiam libentius carent, quàm ceteros liberant, vt ſemper non pingui minerua, ſed acuto iudicio quaſlibet cõtrouerſias inſpiciant, & quamprimum Rhetorum technas cernunt, ſtatim homines ingenui ac cordati nugatorias argutias, in veritatis intextas pernitiem, diſcindant: omiſſis iis quæ vel ad inſtituti mei rationem, vel veſtram beniuolẽtiam conciliandam pertinẽt, ad id, quod maximè nobis propoſitum eſt, ſtatim accedam. Multis heri præclaris & (vt ingenuè loquar) propriis ac veris laudib⁹ Huyſ-

mannus

mannus ſuam hiſtoriam exornauit: ſed vſu illi eueniſſe video quod ceterarum artium hominibus; qui cùm omnes promiſcuè ijſdem affici vident, quà laudibus, quà præmiis, omnium artium gloriam præmiaque ad ſuam quiſque traducere verborum luce ac ſplendore conantur, & cùm omnia fecerint, id cõſequũtur, vt in vulgus omnium eleuẽt autoritatem; ac dum nouo & alieno ornatu illas volunt ornare, ſuo quoque eas conceſſo & tradito ſpoliant, & denudant. Sit Prudentiæ mater hiſtoria, ſit hiſtoriæ cognitio ad Reipublicæ gubernacula ſedentibus vtilis, imò neceſſaria: verùm, obſecro, noli tãtum indulgere adfectibus, Huyſmanne, vt hiſtoriæ fructus non legitimis terminis, ſed ingenij tui finibus immenſis pænè circumſcribas: nec practico modò, & actionis iter ingredienti antiquitatis illud lumen prelucere debere, ſed illis etiam qui omiſſa rerum externarum omnium cura, vitæ degendę rationem quietam in contemplatione & cognitione rerum poſitam elegêre, contendas. nam ſi adeſſet hîc clariſſimus Iuriſconſultus Philippus Zuerius, Iuris in hoc noſtro Louanienſi Athenæo ocellus, & verus Belgicæ Papinianus; vel denique cùm Iuris tum alia omni litteratura inſtructiſſimi anteceſſores clariſſimi viri Gerardus Cauerſonius, & Petrus Gudelinus, præceptores noſtri, næ illi (quod vi banè apud Tulliũ Scæuola) multis præeſſent, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu conſertum vocarent, quod in alienas poſſeſſiones tam temere irruiſſes? agerẽt enim tecũ lege primùm Theologi omnes, ſibique ſacras litteras,

Cic lib. de Orat.

Nihil hiſtoriam conferre Theologo.

litteras, quibus diuina ſapientia, quibus clariſſimum lumen tenebris noſtris, quibus prauis adfectibus antidotus, quibus diuina voluntas, & noſtra ſalus continetur, cottidie in ſinu manibuſque geſtandas aſſererent: audiuiſſe ſe *Scrutamini*, non hiſtorias, ſed *ſcripturas*. non Thucydidis, Polybij, Liuij, Taciti ſententias denſas conglobare ſe didiciſſe, ſed ſacrarum litterarum teſtimonia: in his habitare, huic *armaturæ fortium*, ſarta tecta Ciuitatis Dei, contra nefarios impetus cottidie munientes primas partes optimo iure ſe dare dicerent. quòd ſi eius rei, de qua quæreretur, nullam vel ſubobſcuram ſacræ litteræ mentionem inferrent, conſueuiſſe ſe tanquam legittimos illarum & diuinæ voluntatis interpretes conſultiſſimè adhibere ſacras Apoſtolorũ Traditiones, Oecumenicorum Conciliorum decreta, ſanctæ Matris Eccleſiæ conſenſum, Senatorum denique orbis terræ omni exceptione maiorum, ſanctiorum, doctiorum, vetuſtiorum ſententias: & ne tu eloquentia aut ingenio fretus efficere te poſſe confideres, vt vel in imis ſubſelliis tandem Hiſtoricis tuis locus adſignaretur, illam è Spiritus ſancti ſchola autoritatẽ, *Cauſſæ controuerſæ ſecundùm ſacram ſcripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum autoritates in Concilio Tridentino tractentur*, opponerent: quam nihilo commodiùs expedire quàm ſorbere fauillas, aut ſaxa mandere poſſes. atque adeò optimo iure poſſeſſionem ab illo tuo neſcio quo omniſcio, quamtumuis ingenioſo, quantumuis exercitato, &

Ioh. VI. Cant. IV. Conc. Trid.

omnium

omnium hiſtoriarũ helluone interdicto, VNDE VI, aſſererent. vrgerent præterea Iuriſconſultorum familiæ omnes, & tuum illum hiſtoriarum cognitione imbutum ſibi ad Reipublicę gubernacula aſſidere non moleſtè fortaſſè ferrent: ſed ſimulac ſicut temerarius ille Ozias Deo, ſic ille Aſtrææ vellet litare: & quoniam apud ſuos hiſtoricos veterũ Legum, Plebiſcitorum, Senatuſconſultorum, Edictorum, Conſtitutionum pluſcula fragmenta fortè reperiſſet, mores denique conſuetudineſque veterum legiſſet, de inſtitutionibus, ſubſtitutionibus, bonorum poſſeſſionibus, ſtipulationibus, actionibus, publicis iudiciis, ſimilibúſque Iuris obiectis vellet diſſerere, non ſolùm, quod & nobili olim Sophiſtæ apud Annibalem lõga accuratáque oratione de rebus Bellicis diſputanti, & Græculo cuidam apud Cleomenem Spartæ regem de fortitudine diſſerenti contigit, talem hominem laurea inſigniti riderent, verùm cãdidati noſtri non aurium modò conuitio, ſed ſtrepitu pedum exciperent; eo quòd ſcirent Imperatorem Iuſtinianum totum ius Ciuile Romanorum, quod quidem pro Iure haberi vellet, in certa volumina, & certos libros redigendum curaſſe: & ſi quę veteris iuris fragmenta adhuc extent, niſi quod his libris probatum ſit, neque ea pro partibus iuris eſſe habenda, neque in his autoritatem iuris vllam ineſſe, vt profectò in his diligentiùs conquirendis labor eſſe poſſit ad antiquitatis nonnullam cognitionem vtilis, ad iuris conſtitutionem & probationem ſuperuacaneus. Sin verò perſiſteret, & ad ſuæ vertiginis importu-

Nihil Iuriſconſulto.

Paral. II c. XXVI.

næ

næ calculos ius noſtrum exigeret, imò illud vt corruptum vitiatumque traducere auderet, quòd cum ſuis, vt fortè loqueretur fontibus non conueniret, & vniuerſa Ic^torum^ ſchola litem ei intenderet, imò lege Cornelia de falſis eum poſtularet; atque optimo iure: Iuſtinianus enim Imperatoria poteſtate, quicquid in voluminibus à ſe editis continetur, pro iure haberi voluit. ſi quæ autem his libris non continerentur, adeò ſemel omnibus omnẽ auctoritatem abrogauit,

L. 11 C. de vet. iur. enucl.

vt diſertè ſcriptum reliquerit: *Has itaque leges & adorate, & obſeruate, omnibus antiquioribus quieſcentibus: nemóque veſtrum audeat vel comparare eas prioribus; vel, ſi quid diſſonans in vtroque eſt, requirere: quia omne quod hîc poſitum eſt, hoc vnicum & ſolum obſeruari ſancimus. Nec in iudicio, nec in alio certamine, vbi leges neceſſariæ ſunt, ex alijs libris, niſi ex ijſdem Inſtitutionibus, noſtríſque Digeſtis, & Conſtitutionibus à nobis compoſitis vel promulgatis, aliquid vel recitare vel oſtendere conetur: niſi temerator velit falſitatis crimine ſubiectus, vnà cum iudice qui ei audientiam accommodauerit, pœnis grauiſſimis laborare.* Inſtaret quoq;

Nihil Medico.

tota Medicorum claſſis; Hippocratẽ, Galenum, Auicennam magiſtros ſe habere diceret; hiſtorias tuas ne minima quidem ſocietate medicinam contingere doceret. Philoſophorum denique greges acres illas de virtutibus vitiiſque diſputationes à Platone, Ariſtotele, Zenone,

Nihil itidem Philoſopho.

Seneca, Epicteto, Arriano, non ab hiſtoricis peti vincerent oportere; & interrogationũ laqueis ita irretitũ te tenerẽt, vt, quicquid dixiſſes, id teipſum negare cogerẽt. Quamobrem iſta tanta,

tamque

tamq́ue multa profitēda, Huyſmanne, non ſentio. ſatis eſt magnum, ſi Prudentiam practices neceſſariam ex hiſtoriarum fonte deducas tanquam riuulum. redi ad lineas quod dicitur, & ingenuè agnoſce, nihil Theoricæ ex illo adiumenti accedere. nam cùm omnia feceris, cùm artis ingenijq́; adſciueris omnia præſidia, nihil, mihi crede, conſequêre, quàm, vt prudentibus & eruditis diſertè, ſtultis & imperitis verè dicere videaris. Et vt intellegas me non agere ſummo iure, aut inimico & turbido, ſed candido & placido animo tecum, ſi hiſtoriarum circumſpecto, vti inquis, lectori, Theologiæ, Iuris, Medicinæ vel Philoſophiæ clauum te non tradere fateare; ſed tantùm contendere, ex hiſtoriarū cognitione ſiue Theologo, ſiue Iuriſconſulto, ſiue Medico, vel Philoſopho multum ornamenti accedere: non reluctabor, tua ſequār veſtigia, tuam defendam autoritatem. Nec vnquam negabo prodeſſe illis antiquitatis cognitionem, ſed prodeſſe tanquā Titio aut Seio, Petro aut Paulo, non tanquam Theologo vel Iuriſcōſulto, Medico vel Philoſopho: cum ſine hiſtoriarum cognitione eſſe poſſe, fuiſſeq́; plurimos Theologos doctiſſimos, Iuriſconſultos clariſſimos, Medicos expertiſſimos, Philoſophos denique acutiſſimos, nemo, qui attentiùs modò à nobis allata excuſſerit, vnquā negabit, niſi idem cæcus fuerit in perſpiciendis claris, vel malitioſus in perfringendis certis. & vtcumque etiam hoc tibi largiar, adferre antiquitatis cognitionem ſuperioribus diſciplinis ornamentum atque adeò adiumentūm proprium, non

Niſi externum planè ornamentum.

externum: attamen cùm id tantum non ſit, vt ſine illo munere ſuo quisfungi aut diffungi non poſſit; vide, obſecro, ne prudentis minimè ſit Theologi, Iuriſconſulti, Medici, vel Philoſophi induſtriam in plura ſtudia diſtrahere; cùm multa & magna & difficilia ſint adeò illis neceſſaria, vt his neglectis, in carceribus ſtudiorũ ſemper hæſuri, ad metã nunquam peruenturi ſint. vide ſi pondus adieceris, ne opprimant onera quæ ferente maiora ſunt. Seneca ſuadeat, Onerat, inquiẽs, diſcentem turba, non inſtruit: multoq; ſatius eſt paucis te autoribus tradere, quàm errare per multos. Qui, quò deſtinauit, peruenire vult, viam ſequatur vnam, non per multas vagetur: non ire iſtud, ſed errare eſt. Tullius perſuadeat, Quis neget opus eſſe oratori, ſcribens, in hoc oratorio motu ſtatuque Roſcij geſtum & venuſtatem? tamen nemo ſuaſerit ſtudioſis dicendi adoleſcentibus in geſtu diſcẽdo hiſtrionum more elaborare. Quid eſt oratori tam neceſſarium quàm vox? tamen me autore nemo dicendi ſtudioſus Græcorum more Tragœdorum voci ſeruiet. [paucíſq; interiectis:] Hoc nos ſi facere velimus, antè condẽnentur ij, quorum cauſſas receperimus, quàm toties, quoties præſcribitur, Pæanem aut Munionem citarimus. Quòd ſi in geſtu, qui multũ oratorem adiuuat, & in voce, quæ vna maximè eloquentiam vel commendat, vel ſuſtinet, elaborare nobis non licet; ac tantum in vtroque aſſequi poſſumus quantum in hac acie cottidiani muneris ſpatij nobis datur: quanto minùs eſt ad iuris ciuilis perdiſcendi occupationẽ deſcendendum, quod

Vni ſtudio ſeriò vacandũ.

De Tranq. An. cap. IX.

Epiſt. XLV.

De orat. lib. I.

&

& ſummatim percipi ſine doctrina poteſt; & hanc habet ab illis rebus diſſimilitudinē, quòd vox & geſtus ſubitò ſumi,& alicunde arripi non poteſt, iuris vtilitas ad quáque cauſſam quamuis repentè vel à peritis vel de libris depromi poteſt! Imitabor in parte,& dicam: Quis neget antiquitatis cognitionem Theologo, Iuriſconſulto, Medico, deniq; vel Philoſopho multum ornamenti adferre? tamen nemo illis ſuáſerit Thucydidem, Polybium, Plutarchū, Liuium, Tacitum, Cominæum, Aemilium euoluere, nemo autor fuerit vt ardeant in diſciplinarum adminiſtris. hoc enim ſi facere voluerint, cùm Hippocrate teſte vita breuis, ars longa ſit; & Seneca iudice lectio certa proſit, varia tantùm delectet: in ſuperficie Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medecinæ, & Philoſophiæ tantùm hærebunt, ad medullam vſque nunquam penetrabunt. Quandoquidem, vt idem Sophus ait, variis diſtrictus animus nihil altiùs recipit, ſed omnia velut inculcata reſpuit. Facta prioris æui ſine cura conquirant, ſine cura habeant, ſine cura etiam ignorent. diſcat Theologus argumentari ex ſacris litteris, ex Traditionibus Apoſtolicis, ex Conciliis Oecumenicis, à ſucceſſione Pontificum, à cruore martyrum, à ſcitis Præſulum, ab autoritate Maiorum: habeat Iuriſconſultus cottidie in ſinu manibúſque vtriuſque Iuris tabulas, euoluat Bartholum, Panormitanum, Baldum, Archidiaconū, Caſtrēſem, Iaſonē, Alexandri Conſilia, adhibeat ex recentioribus Iuriſconſultorum huius æui Principem Iacobum Cuiacium, lumen illud Belgicæ noſtræ clariſſimum

Hip apud Sen. de bre. vit.c.1.

Sen. ibidem cap. VI.

mum Viglium, acutiſſimũ Duarenum, ſolidiſſimum Couaruuiam, doctiſſimum Nauarrum: habeat medicus ſemper in oculis ſuum Hippocratem, Galenum: terat Philoſophus Ariſtotelem, Platonem, Senecam, Epictetum, Plutarchi moralia. Si hiſtoriarum aliquando incidet vſus, ad quamque cauſſam quamuis repentè vel à peritis, vel de libris depromi poterit. Diſcat deniq; Plinio magiſtro, ſi conſultum ſibi ſtudiiſque velit, ſui cuiuſque generis autores diligenter eligendos, multum legendum, non multa. In qua ſententia finio, & ſeriò cõquieſco: velim Huyſmannus mecum: & certè faciet, ſi plus inuento vero quàm victoria gaudeat. Hæc cùm Lixbonnæus dixiſſet, cõcitatus & velut inſtinctus (erat enim in dicendo vt eloquens ita vehemens) parumper & ipſe conticuit, & à ceteris ſilẽtium fuit. Tum Varicius, agnoſcitis ne, inquit, verũ ac germanum Academicum? neque enim ita ſentit noſter Lixbonnæus; ſed more veteri, & in academia celebrato, cum ſumpſiſſet ſibi contradicendi partes, docere voluit quãta induſtria ac arte à Philoſophis didiciſſet ancipites vias, rationeſque, & pro omnibus, & contra omnia diſputandi. tuum tamẽ, Huyſmanne, promiſſum immutaſſe non debes. ſed cùm luculenter heri oſtenderis quantum Practicæ hiſtoria conferat, iam recta ad Theoricen trãſi, & quid adiumenti ex hiſtoria petere debeat doce. tũ Huyſmannus, patientiam accõmodabo, inquit; & ſequar à te præſcriptam formam Varici. neque enim diu contradicendum eſt Lixbonnæo noſtro, quem diſputationem ingreſſum quaſi quidam

Epiſt. lib. VII

Refutata ea quæ contra hiſtoriam allata.

dam æſtus præclariſſimi ingenij ſui procul à terra abripuit, atq; in altum abduxit. ſic enim dixit quaſi nos tranquillam in cõtemplatione rerum vitam agenti, ab hiſtoriarum ſole non lucem ſolùm mutuandam diceremus; ſed hiſtoriam ipſàm omnes ſcientias artéſque in ſe continere, atq; adeò antiquitatis peritum in re Theologica clarè, Iuridica perſpicuè, Medica aptè, Philoſophica deniq; acutè ſine proprio ſcientiarum adminiculo poſſe diſſerere; imò quaſi arbiter ille foret honorarius, & idoneus Palæmon ad ſedándos omnes fluctus, quaſlibet cõtrouerſias dirimere vellemus. Quod certè ſi pertenderem, non cauſſam dico quin iure mihi improperari poſſit illud Poëtæ Principis: *Hom. Odyſſ. 1.*

* —— σὺ δὲ μαίνεαι ὐκ ἔτ᾽ ἀνεκτῶς. ** Tu iam nõ tolerabiliter inſanis.*

Vidit hoc ſtatim meus Lixbonnæus, & ardore impetuque ingenij paululum exſpatiatus de ſemita, vt dicitur, in viam, inque gradum rediit: & quod propriè ad noſtrã Andromachã, quicquid adiumenti adferret Hiſtoria, id planè externum eſſe ſuſtinuit; & quamuis proprium foret tam exiguum, vt ſine illo quamcũq; partem Theorices quis elegiſſet, munere ſuo probè fungi ac diffungi poſſet: nec vllo modo ea propter conſultum ſtudia diſtrahere, & ardere (vti loquebatur) in diſciplinarum adminiſtris. hæc ille. ego, quod initiò ſumpſi, nõ effreni cupiditate victoriç, ſed inuicta veritate imperante, ſuſtineo, non modò Practices iter, ſed etiam Theorices ingredienti, lumen illud antiquitatis adeò neceſſariò prælucere debere, vt fieri nequeat, quin illo deſtitutus in rebus etiam clariſſimis ſçpiſſime non *Quid hiſtoria conferat Theorice.*

cæcutiat. nec aliquem veſtrûm exiſtimo tam mucoſis naribus, qui hoc nõ perſentiſcat, modò attentiùs, quæ ſtatim ad Lixbonnæi noſtri obiectiones reſpondebimus, audierit. Ceterùm ne neglexiſſe videar quod in principio fieri in omnibus diſputationibus rectè apud noſtram Suadã ſentit Antonius, vt quid illud ſit de quo diſputetur explanetur; ne vagari & errare cogatur oratio, ſi ij, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud, de quo agitur, intellegẽt: altiùs pauliſper hunc ſermonem repetamus. Meminiſſe vos arbitror, virtutem omnẽ, ex doctiſſimorum hominum ſentẽtia, in actionem ſiue Practicen, & contemplationem ſiue Theoricen heri à nobis diuiſam. Quid actioni hiſtoria conferat, pro inſtituto ſatis diximus; hic dies deſtinatus, vt quietam illam extra ciuicos tumultus vitam & maximum ab illa accipere adiumentum, & ornamentum egregiũ, doceremus. verùm ne, cùm quietæ vitæ mẽtionem inijcio, me aliquem locum in hoc ordine tribuere cenſeretis malè feriãtis illis hominibus, qui non ſalubrẽ aliquem in hac vita ſeceſſum quærunt à curis, aque turbis, ſed deſidiæ ſepulchrum; qui oſcitant, circumambulãt, edunt, bibunt, dormiunt, officia lucis noctiſque peruertunt, nec aliud: iam antea in heſternæ diſputationis exordio volui omnes homines curas omnes ad Dei gloriã, & publicum Reipublicæ commodum conferre. nec Theoricẽ ad inanem cõtemplationem vnquam me velle dirigere, diſertè profeſſus ſum: & in hodierni ſermonis principio ſeriò præmoneo, fungos hos, & Maccos, Comici verbo, lapide ſilice ſtul-

Apud Cic. lib. 1. de Orat.

Otium ſine negotio mors.

ſtultiores inter quietas illas animas adeò me non referre, vt mortuis audaciter adſcribam; Romano Sopho plena cera ſubſcribente, dum inquit; *Otium ſine litteris mors eſt, & viui hominis ſepultura*: & Prudentiſſimo hiſtorico ſuffragãre, dum ſcribit; Multi mortales dediti ventri atque ſomno, indocti incultiq; vitam ſicut peregrinantes tranſiere, quibus profectò contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit, eorũ ego vitam mortemque iuxtà exiſtimo. Quos ergo, inquis? dicam breuiter. laudabilem illam laudatiſſimorum hominũ, qui ſeriò imbibêre, omnia mortalium opera mortalitate damnata, honores, monumẽta, quicquid aut decretis ambitio iuſſit, aut operibus extruxit, citò ſubrui: nihil non longam demoliri vetuſtatem, & mouere ocyus quod conſecrauit: diuitiarum ac Magiſtratuum gloriam fluxam atque fragilem eſſe, virtutem claram æternamque: adeoque ex intimis præcordiis cum Comico exclamant,

Sen. epiſt. LXXXII.
Saluſt. Coniurat. Catil.
Optima vitæ precepta.

——— *Virtus præmium eſt optimum*:
Virtus omnibus rebus anteit profectò:
Virtus omnia in ſe habet: omnia aſsũt bona, quem penes eſt virtus.

Plaut. Amphit.

nec audiunt ſolùm, ſed auſcultant, & credunt Senecæ altè monenti: Sic certè viuendum eſt, tanquam in conſpectu viuamus: ſic cogitãdum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit: & poteſt. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretũ? nihil Deo cluſum eſt. Qui denique animum è ſuperno illo domicilio delapſum velut carcerem ſciunt habere omnem hanc terram, cœlum veram germanamque pa-

Epiſtola LXXXIII.

triam profitentur, ideoque in exiguo hoc temporis puncto in illa ſe totos dant animo, quæ immenſa, quæ æterna ſunt, quæ cum melioribus communia: cottidie cum vita paria faciunt, mentem Deo ac rectæ rationi ſubiiciunt, & menti ceteras res humanas. norũt optimè, nihil intereſſe (magno Philoſopho verè ſcriptum) quando patiaris quod quandoque patiendum eſt: quàm bene viuas referre, non quàm diu: ſepe autem in hoc eſſe bene, ne diu. Nec ita tamen interim à curis omnibus externis ſecuri, vt nihil de Republica cogitent, nec voce, adhortatione, exemplo, ſcriptis, omnibus, ſi fieri poſſet, prodeſſe non velint. quinimo nunquam (vt ille inquit) minùs ſoli ſunt quàm cùm ſoli, nũquam minùs otioſi quã cùm otioſi. Meditatio, lectio, ſcriptio ſemper aliqua; & vt tela in armentarium, ſic pro diuerſitate munerum & ſcientiarum Theologiæ artiũ reginæ arcana, ſacri Iuris ſtudij decreta, Medicinæ denique ac Philoſophiæ præcepta in animum recondũt, quæ mox vel in celebri aliqua Academia diſertè ac eloquenter Iuuentuti interpretentur, vel eleganti ſtilo expreſſa (linguæ etenim litteræ, & nouem noſtrę Muſæ ſemper debẽt præparare animum, nunquam alioqui futurum idoneum, cui ſuperiorum diſciplinarum ſemina cõmittantur) ad poſteros tranſmittant, fæcundaque ſcientiarum diluuie orbem terræ inundent. His germanis Theologis, genuinis Iuriſconſultis, veris Medicis, legittimis Philoſophis hiſtoriam non externum, ſed proprium adiumentum, neque adeò exiguum, vt ſine damno illo carere poſſint, ſed

Sen. epiſt. c 1, 2 *Iuuentus in litteris inſtituenda.*

tam

tam amplum, vt illo deſtituti nunquam quod profitentur nomen ſuſtinere poterint, probaturum me recipio. quod reipſa ne præſtem, an verbis tantùm pollicear, quæſo, diligẽter attẽdite: dabo operam, vt pro varietate ſcientiarum, varietate rerum placeam: neque committam, vt prolixitate vllam adferam moleſtiã. Et vt hinc exordiar, relinquo tibi lubenter quod acceperas vt datum, Lixbõnæe, Theologis omnibus maximè cordi curęque eſſe debere, *Scrutamini ſcripturas.* fateor proprium Theologi munus interdiu, internoctu (Latinè loquor) ſacras litteras imbibere, ſcholã Spiritus ſancti, vitæ magiſtrã, ſacras litteras agnoſcere, ſacris denique in litteris occupatos ad ſenectutem decrepitam peruenire. & quoniam idem illa diuina doctrina, quam nobis diuini ſcriptores litteris tradidere, multis in locis intricata atque difficilis eſt, abditi plerumque in ea ſenſus & reconditi deliteſcunt, ad quos aditus omnibus non patent; multa etiam à Chriſto, & duodecim illis viris quos Chriſtiani Apoſtolos vocamus, tradita ſunt, quæ ſacris litteris non fuere cõmiſſa : cum Oecumenica Tridẽtina Synodo, probè in hanc ſententiam & aptè à Lixbonnæo citata, poſſe, imò debere Traditiones Apoſtolicas, Eccleſiæ conſenſum, probata Cõcilia, maiorum autoritates, tanquam controuerſiarũ legittimos iudices, Theologos admittere, clarè profiteor: verũ & illud etiam audacter adſero: In his ipſis ſacris litteris, traditionibus, Conciliis, Eccleſiæ conſenſu, maiorum ſcriptis, innumera pænè eſſe quæ nunquam purè & liquidè, ſed quaſi per nebulam

Theologi munus.

Quid Theologo conferat hiſtor[illegible]

bulam ſolùm intelleget lector, qui non eſt tinctus vel imbutus notitia priſci æui; tum vel maximè aduerſus Chriſtianæ religionis hoſtiū inſultus rerum geſtarū cognitionem Theologo planè neceſſariam, nemo ſanus abnuet. quod ne ſine ratione fundere videar inaniter, aut non tam dicere ſincerè ad hiſtoriæ vtilitates explicandas, quàm oratoriè ad earum laudes exaggerādas, audite Antiſtitum Antiſtitem, magnum illum Auguſtinum. Quicquid (inquit) de ordine temporum tranſactorum indicat ea quæ appellatur hiſtoria, plurimum nos adiuuat ad ſanctos libros intellegēdos. [& iterum,] Per Olympiadas, inquit, & per Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur à nobis: & ignorantia conſulatus quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nōnullos coēgit errare. [& iterum,] Ne aliunde, inquit, caligo dubitationis oriatur, de hiſtoria Gentium collata cum Euangelio, liquidiùs certiuſque colligitur. Hæc Auguſtinus. cui comitem nouum do, ſed magnū & doctum Theologum. Viri omnes docti (inquit) conſentiunt, rudes omnes Theologos illos eſſe, in quorum lucubrationibus hiſtoria muta. Mihi quidē non Theologi ſolùm, ſed nulli ſatis eruditi videntur, quibus res olim geſtæ ignotæ ſunt. Multa enim nobis è theſauris ſuis ſuppeditat hiſtoria, quibus ſi careamus, & in Theologia, & quacūq; alia ferme facultate inopes ſæpenumero, & indocti reperiemur. Cùm vero pateat quandoque in re quadam geſta Theologicæ diſputationis cardinem verti; quis eſt hic qui neget interdum etiam in ſcholaſtica diſputatione opus eſſe ex Anna-

Auguſt. de. doc. Chriſt. c. XXVIII.

Melch. Canus, Epiſc. Canar. Loc. Theol. lib. XI cap. II.

Annalium monumentis teſtes excitare clariſſimos veritatis? Huc vſq; ille. Et ne autoritatum gladiis tãtùm videar velle pugnare, ad Rationis machinas venio. validum Lixbonnæum validè oppugnabo tormentis. In libris ſacris locos plurimos eſſe intricatos, quos ſine hiſtoriarũ cognitione nunquam extricabit Theologus, arietem firmum intorqueo. Primus ictus ſit, fateri mecum omnes qui ſunt ſuæ mentis, promiſſum celebri illo Iacob vaticinio; *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt*; regium Iudæorum Imperium penes eos qui forent ex tribu Iuda & familia Dauid manſurum, donec Deus in hunc mundum mitteret ex ſe genitum ſuæque ſubſtantiæ Filium, qui nos perditos benignè redimeret, liberaret. Vaticinij verò huius fidem euentu ſtabilitam, cùm poſt Iudæam à Pompeio Magno debellatam, ex parte in formam prouinciæ redactam, populóque Romano redditam vectigalem, tandem Olympiade centeſima octuageſima quarta, Anno Vrbis ſeptingẽteſimo decimoquarto, Cn. Domitio Caluino II. & C. Aſinio Pollione Conſſ. regium Iudæorum diadema Herodes Antipatris filius Idumæus Romæ ex Senatuſconſultò accepit. hæc lippis, inquam, & tonſoribus nota. Verùm ſi argutior aliquis ex ipſis ſacris litteris obiiciat, tribum Iuda tempore Zedechiæ regis cum ſanguine regio in ſeruitutem fuiſſe abductam, & poſt annos ſeptuaginta demum poſtliminio reſtitutam; ideoq́ue colligat pluſquam quadringentis annis ante Herodem regium ſceptrum domui Dauid ereptum: quid

Sacras litteras hiſtoriis etiam profanis illuſtrari.

Gen. XLIX.

De vaticinio Iacob diſſertatio.

Ioſeph. antiq. XIIII cap. VIII.

Plut. in Põp.

Ioſeph. eod. lib cap. XXVI

Dio Caſ. lib. XLIX.

Quid aget miſellus, ſi hiſtoriarum præſidio hîc ſe inueniat deſtitutum? nunquid turpiter cogetur hallucinari, niſi ex antiquitatis hoc theſauro collegerit, etſi Iudæi aliàs in captiuitatem redacti regnare deſierint, nunquam tamen aliquem ſurrogatũ regem extraneũ qui in Iudæa regnaret, niſi cùm Herodes Idumæus regnum obtinuit?

Caeſ. Baron. Annal. Eccl. tom. I.

Quid ſi ille idem iam acriùs inſtet, & effugium hoc præcludat, nec Ioſephi modò autoritate, quam fortè contemneret, ſed clariſſimis ſacrarum litterarum verbis doceat, delatum eſſe tandem Iudæorũ regnum Aſſamonæis ex genere ſacerdotali, tribu Leuitica, filiis Ioarim, ſiue, vt alij legunt, Ioiaſib, & continua ſerie vſque ad Herodem totis (vt volunt hiſtorici) CIII. annis ex hac Aſſamonæorum familia Reges ſediſſe ad Reipublicæ Iudæorum clauum?

Ioſeph. Ant. lib. XII cap. VIII.

I Mach. cap. II. Genebr. in Chron. Ioſeph. Ant. XV cap. I.

Sit ingenioſus, ſit eloquens, ſit exercitatus Theologus, tamen aridus ac balbus appareat neceſſe eſt, niſi antiquitatis lumine denſam hanc caliginem pellere queat. Scio nonnullos hoc telo perculſos eò confugere, vt vaticinium Iacob tantùm velint fuiſſe promiſſionem; & ſicuti ſententia aduerſus Niniuitas lata poſt pœnitẽtiam fuit tranſlata, ita quoque hanc promiſſionem propter tribus Iudæ delicta poſtmodum commutatam: Alios velle Aſſamonæis regnum traditum non vt hereditarium, ſed in tutelam, donec naſceretur ille quem ex tribu Iuda exſpectabant: Tertios aſſerere, licet Aſſamonæi regni habenas moderarẽtur, fuiſſe tamen adhuc apud Iudæos collegium LXXII virorũ ex inſtitutione diuina, quod *Zynedrin* ſiue *Zanedrin* vocabant, ſummæ

Vid. Mel. Can. loc. The. lib. II cap. XI.

Doctorum interpretationes variæ.

Num. II.

mæ autoritatis, & huius collegij Principem, vti colligitur ex traditionibus Thalmud, fuiſſe ex tribu Iuda; atque adeò Imperium non omnino tráſlatum, donec, vt Philo ſcribit (ſiue quiſcũq; alius autor libri de temporibus) Herodes trigeſimo anno regni ſui Zanedrin ex proſelytis ſuffecit. Oleum & operam homines non inſipiétiſſimi cur profũditis? nolite, obſecro, in ſimpulo (quod dicitur) excitare fluctus. reuoluite hiſtorias, & intellegetis Aſſamonæos fœdere nuptiarum tribui Iudæ ipſiq́ue familiæ Dauid cõiunctos: & ea ratione factum, vt ſacerdotium pariter ac regnum iungerentur, & ex materno genere ſceptrũ in ſtirpe Dauid ſemper ſit conſeruatum, vſque ad Herodem Idumęum, ethnicum hominem, poſtea proſelytum, qui regnum tranſmiſit ad Archelaum, & deinde Herodem Antipá, ex Malthace Samaritide genitos. Nec eſt quòd aliquis hîc mihi ingerat ſcrupulum de tribubus ex diuina lege non miſcendis: conſulat enim hiſtorias, & percipiet ſacerdotali tribui peculiariter conceſſum, cum regia ſtirpe matrimonium contrahere, vti non ſolùm diſertè tradit Philo rerum Iudaicarum peritiſſimus, ſed in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis doctiſſimus Baronius nedum Patrum teſtimoniis, ſed ſacrarum litterarum exemplis clariſſimè confirmat, imprimis ipſius Aarõ, qui, vt ſacra teſtatur pagina, vxorem duxit Eliſabeth filiam Aminadab, ſororem Naaſon, qui tribus Iudæ tunc Princeps & dux erat. &, vt omnis tollatur tergiuerſatio, multis annis poſt latam de non miſcendis tribubus legem etiam Ioiadæ Pont. Max. qui nuptias

Lib. II. Verus ſenſus eruitur ex hiſtoria.

Baron. An. Eccl. tom. I. Philo de Monarch.

Obiectiones poſita.

Ioſephus Antiq. XVII c. I De bel. Iudaico I. c. XVIII. Num. vlt.

Et remota.

Phil. de Monarch. Bar. tom. I.

Exo. VI. vid. Epiph. Hereſ. LXXVIII.

II Paral. cap. XXII.

ptias

ptias contraxit cum Ioſabeth filia Ioram regis Iudæ, ſorore Ochoziæ. Quo conſtituto (hauri, hauri vtilitatem hiſtoriæ, Theologiæ candidate) ſimul etiam expedita eſt intricatiſſima illa quæſtio, quæ doctorum manum ac calamum tam ſæpe fatigauit, quomodo Deipara Maria Virgo, progenita, vt omnes ex innumeris ſacrarum litterarũ locis ſciunt, qui non dicã ſapientiæ, ſed ſanitatis aliquid habent, ex regia ſtirpe Dauid, potuerit nihilominùs Gabriele teſte eſſe cognata Eliſabeth, quæ tamẽ, vt expreſsè ibidem ſcribit Lucas, *erat ex filiabus Aaron*, nulla videlicet inter Mariam & Eliſabeth cognationis vel affinitatis neceſſitudine intercedente, quàm quòd illa (vt nobiliſſimi hiſtorici verbis vtar) ſicuti & iſta, ex eadem Aaronica ſtirpe ex parte matris deſcẽderet. Iam verò ſi ethnicus aliquis, vel Iudæus, eiuſdemq; farinæ impius homo in controuerſiam vocet deſcriptionẽ illam, quã ex mandato Auguſti tempore Herodis à præſide Syriæ Cyrino (aliàs Quirino) ſub Chriſti natiuitatem factam ſcribit Lucas, eo argumẽto, quòd hiſtorici, qui res Romanas ſunt proſecuti; tam celebrem deſcriptionem, nobiliſſimumque cẽſum hauddubio frequẽtes memoraſſent; ſi non frequẽtes, ſaltem aliqui; ſi non aliqui, vnus ſaltem; nunc autem nullus extiterit neque Latinus neque Græcus, neque remotus neque citimus, qui tantæ rei vel obſcurè meminerit in commentariis; imo, quod plus eſt, ipſe Ioſephus diſertè teſtetur, Quirinum nõ fuiſſe miſſum in Syriam, nec vnquam Iudæos cenſuiſſe Herodis tẽpore, imò demum poſt relegationem filij eius Archelai:

Solutus nodus ex hiſtoria. *Iſa. 1.* *Pſalmo LXXXVI.* *Luc. 1.* *Mat. 1. & XXII.* *Luc. 1.* *Bar. An. 1.* *Luc. II.* *De alio loco Lucæ quæſtiuin.* *Ioſeph. Ant. XVII c vlt. & lib. XVIII c. 1. De bel Iud. II cap. VII.*

lai: quid aget noſter Theologus? quam perſequetur viam? ſubſcribet ne imperitis illis hominibus, qui, cũ ſe verterint in omnes formas, tandem in eo reſidẽt, vt eo tempore, quo ſcribit Lucas, edictum velint promulgatum, ſed ob externa bella, quibus Iudæa vexabatur, poſt decimumquartum annum cenſus exactionem eſſe delatam? ô nugamenta rerum verborumque, & Neuij Buttubatta! quis vnquã hiſtoricus pinxit, finxit, aut ſcripſit aliquo externo bello hoc tẽpore Palæſtinam vexatam? credo profectò ſomniare hos homines, quia ex aliquo fortè audierant Antigonum vltimum ex Aſſamonæis regem de Principatu cum Herode contendiſſe, vnica velificatione æſtum huius belli ad hoc tempus velle transferre. ſententia quæ profectò (vt ille ait) nec cœlum nec terram tangit: cum qui ſuperioris æui res geſtas vel primoribus labiis guſtarit, facilè intellegat, bellum hoc cum Antigono initio regni Herodis contigiſſe pluſquam xxxv annis ante Chriſti natalem. Quid igitur? ſubſcribet ne malè feriatis huius ſæculi hæreticis? qui Gordium hunc nodum in Chronologiis ſuis non ſoluunt, ſed ſcindunt, eoque audaciç deueniunt, vt nihil vereantur ſacrarum litterarum textum tanquam corruptum vitiatumq; traducere, & verba illa, *Hæc deſcriptio facta eſt à præſide Syriæ Cyrino*, expũgere, tanquam gloſſema alicuius Macci, quod in margine poſitum irrepſiſſet tandem in Lucæ textum. ſatis regiè, vt illis videtur, cum Magno Alexandro, credo; ſed, vt ego exiſtimo, impudẽtiſſimè. ô iactantiunculi & nugiuendi, pleni fatua ac ſtulta con-

Exploſæ quorundam friuolæ interpretationes.

Ioſeph. Ant. xv c. I.

Ioſeph. ibid. Dio libro XLVIIII. Bar. in Annalibus.

coniectura! continete manum ſtilumque: non eſtis hîc in Critica arena. mens, an frōs, an vtraque vobis deeſt? an ignoratis, Liuij monumenta illorum temporum penitus interiiſſe? Tacitum ab exceſſu Auguſti, conſulatu nimirum Sexti Pompeij, & Sexti Apuleij, qui incidit XV vel XIV annum poſt Chriſtum natum, hiſtoriam ſuam auſpicatum? Suetonium nullo temporis ſeruato ordine ſcripſiſſe? ex Dionis hiſtoria res geſtas à Conſulatu D. Lælij Balbi, & C. Atiſtij Veti ab anno vrbis DCCXLVII, ſiue, vt alij volunt, XLVIII vſque ad Conſulatum Cn. Cornelij Cinnæ, & L. Valerij Meſſalæ, Anno DCCLVI, vel LVII, & ſic decem annorũ ſpatio quinque vel quatuor ante Chriſtum, & quinque vel ſex poſt intercidiſſe? & adhuc quæritis cur hiſtorici huius deſcriptionis non faciát mentionem? Audimus, inquiet forte aliquis: ſed quid Ioſepho reſpondebimus, qui ita meminit, vt expreſsè neget? Quid? nõ rectè eum litaſſe Deæ monetæ: quinimo turpiſſimè in ſupputatione horum temporum errare, vti non ſolum Panuinus, & reliqui omnes eum ſecuti fatentur; ſed etiam ex Dione, Velleio Paterculo, Tacito, imò ipſius Ioſephi diuerſis locis doctiſſimus Analiũ Eccleſiaſticorum ſcriptor conuincit: cùm Quirinus in præfectura Syriæ Quintilium Varum præceſſerit, non, vt Ioſephus voluerit, eidem eſt ſurrogatus. Verùm ſi, quod homini per loca dumetis ac ſpinetis vndique horreſcentia facienti iter accidit, vt dum ſinuoſiori ſe dumo explicat, aſperiori ſpina implicetur, id Theologo hiſtoriarum præſidio deſtituto vſu veniat; & dum de Quirino

Refutatus Ioſephus.

Pan. in Faſt.

Bar. tom. 1 Annal.

Quirino difficultatem quoquo modo explicarit, alius quiſpiam illi obiiciat eam ſaltem deſcriptionem temporis Herodis minimè factam, quãdoquidem Herodes ante Chriſtum natum fato conceſſerit, atque ea propter nedum quæ Lucas, ſed etiam quę Matthęus & de Magis, & infantium cæde ſcribit, veritati conformia neget; & huius ſuæ aſſertionis ſtabiliendæ primorem certè ſpeciem veri habentem adferat rationem, quòd non Ioſephi ſolùm, ſed cõmuni omnium hiſtoricorum calculo ſit receptum, Romæ ex S. C. collatum (vti diximus) Herodi regnum Domitio Caluino, & Aſinio Pollione Conſſ. Anno vrbis, ſecũdùm Varronianam ſupputationem, ab antiquis magis probatam, & quam in Faſtis Henricus Glareanus, & in Annalibus Baronius vbiq; ſequũtur, DCCXIV, eundemque Herodem obiiſſe circa Paſchale (vt ſic dicam) tempus, expletis annis regni ſui triginta & ſeptem. Si igitur dictos XXXVII annos numeres per Conſſ. ſubſequentes, inuenies Herodem deceſſiſſe ſub finẽ Martij L. Valerio Lentulo & M. Valerio Maſſalino Conſſ. anno vrbis DCCLI, quo eodem anno XXV Decembris natum eſſe Chriſtum probatiſſimi hiſtorici tradidere, ac conſequenter nouem menſibus poſt Herodis obitum eum natum fateâre neceſſe eſt. Quid aget Theologus, qui nulla rerum geſtarum notitia mentem habet imbutam? prouocabit ne à Varroniana ſupputatione? id integrum quidem illi eſt: Sed vide quo redigetur miſellus! rogabit fortè aduerſarius, an igitur placeat recẽtiorum, Sigonij videlicet, Onufrij Panuini, Contij, &

De Luca & Matthæi locis diſceptatio.

Ioſeph. Ant. XIV. c. XXVI & XXVIII & lib. XVII c. X De Bel. Iud. I. c. XXI Dio XLIX. Euſ. in Chro. Bar. in An.

Caſſ. in Chron. Mar. Scot. in Chron. Bar. in Annalib. Euſeb.

Docti non conueniunt in Faſtis Conſſ.

aliorum? Si annuat, agetur obſignatis tabellis, & ex Neotericorum horum ſupputatione docebitur, Conſulatum Cn. Domitij Caluini & Pollionis in annum vrbis DCCXIII incidiſſe, ac conſequenter menſem Martiũ anni vrbis DCCL Herodi fuiſſe ſupremũ, & ſic multo abſurdiùs nedum nouem menſibus ſecundùm Varronianam ſupputationẽ, ſed anno integro & nouem menſibus ante Chriſti natalem Herodem fato functum. Quò ſe recipiet homo? ad illam imperitorum communémne exceptionem de allectis & ſurrogatis Cõſſ.? Profectò qui vel vnũ legerit Dionem, ridiculam hanc eſſe facilè docebit; quádoquidem in Conſularibus Faſtis, ex quibus anni ſinguli dinumerari conſueuerunt, non niſi ordinarij Cõſſ., etiam ſi poſt modicum tempus eſſe deſijſſent, conſcribebantur. Verũ vt omnis euadendi præcludatur via, ſi annorum ſeriem à condita vrbe tanquam incertam reijciat, ſaltem Græcorum Olympiadas admittere debebit. ſi faciat, conſtrictum iterum hominem tenemus. Communi etenim hiſtoricorum traditione conſtat, collatum Herodi regnum ex S. C. Olympiade cẽteſima octuageſima quarta. Si igitur triginta ſeptem Herodis annos numeres per Olympiadas ſubſequentes; Herodem ante Chriſti natalem vita functum nemo poterit negare: etenim cùm ſecundùm Euſebij & Phlegõtis ſupputationem, quam omnes (Baronio ſuffragante) ſequuntur, centeſima octuageſima quarta Olympias inchoetur ſub quinto C. Cæſaris Conſulatu in fine menſis Iunij; ipſo enim initio æſtiualis ſolſtitij Olympiadum annos

Vide. Car. Sig. & alios in Faſtis.

Dio Caſſ. lib. XLIII.

Ordinarij Conſſ. tãtùm in Faſtis relati.

De Olymp. quæſitum.

Ioſeph. Ant. XIV c. XXVI. Dio lib. XLIX Bar. in Annal.

Euſeb. in Chr. Phleg Bar. in Ann.

Quomodo Græc. Olymp. numerentur.

nos numerari ſolitos, omnes antiquitatis ſciunt periti: neceſſe eſt Herodi collatum regnum anno quarto dictæ Olympiadis CLXXXIIII, idq́ue ante ſolſtitium æſtiuale; nullus enim alius annus Conſulatui Caluini & Pollionis cohæret, ſed eiſdem Conſſ. menſe Iunio incipere Olympiadem CLXXXV, exploratiſſimum eſt. Quo conſtituto, ſi XXXVII annos Herodis numeres per Olympiadas ſubſequentes, inuenies eum fato functum Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ anno primo, menſe nono ſub finem, aut initio menſis X: Redemptor autem noſter natus eſt Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ anno ſecundo, menſe ſexto. Videtis igitur, quocumque Theologus, qui cõtempſit vel neglexit hiſtorias, ſe vertat, nullam oram inueniet qua ſe expediat? Quid igitur ſupereſt, niſi vt clamet, omnia hiſtoricorum ſcripta ſe flocci facere? Olympiadas, Conſſ. annos vrbis nullum apud ſe põdus habere, niſi quatenus cum ſacra hiſtoria conueniunt? piè & probè apud Chriſtianos, ſed ridiculè ac ineptè apud Gentiles & Iudæos. Quid ergo, inquies? Conſulat hiſtoricos miſellus, & intelliget, licet Cn. Domit. Caluino & Aſinio Pollione Conſſ. Herodi S. C. regnum fuerit conceſſum, non fuiſſe tamen eo potitum anteaquam Antigono vltimo ex Aſſamonæis rege (qui ope Partorũ, eiecto Hircano, regnum inuaſerat) debellato, iuſſu opeq́ue Antonij per Soſium Syriæ prȩſidem inſtitueretur. Herodem verò hoc beneficio Antonio deuinctum, eidem in Bello ciuili contra Octauium opem tuliſſe; ideoq́ue Antonio ac Cleopatræ circa Actium

Vide. Pan. in Com. Faſt. lib I. de Olymp. & Bar. in Annal.

Euſeb. in Chron. Baron. in Annal.

Sacris litteris lux data ex hiſtorijs.

Ioſeph. antiq. XV c. I. Dio XLIX. Bar. ibid.

Epiri promontorium nauali prælio ſuperatis, depoſito diademate coactus fuerit Rhodum ad Auguſtum ſupplex ſe conferre ad veniam impetrandam; eaq; impetrata, nouo S.C. regnum ei demũ ſtabilitum eodẽ pugnæ Actiacæ anno, Auguſto III & M. Valerio Meſſalla Conſſ. anno vrbis ſecundũ Varronianã DCCXXIII, ſecũdũ recentiorũ DCCXXII, Olympiadis CLXXXVII, anno quarto inchoato: & ab eo tẽpore (actis Antonij reſciſſis) in publicis monumẽtis adſcriptũ primũ annũ Herodis regni. qua ratione euidentiſſimè iã cõſtat, Herodẽ adeò nõ deceſſiſſe ante Chriſti natalẽ, vt nouẽ vel decẽ annis ſuperuixerit. Nimis diu immorari his fortè videor; pergamus igitur, & quæramus à Theologo qui hiſtorias neglexit, quid ſibi velit, quòd Matthæo, Marco, & Luca teſtibus ex Phariſæis alij Chriſtum Eliã eſſe, alij Hieremiã, alij verò Iohannẽ Baptiſtam exiſtimauerint, cùm hos omnes iam vixiſſe optimè norant? Profectò ſine lingua appareat neceſſe eſt, vel nugas tantùm adferat, niſi ex hiſtoriis didicerit eò ſtoliditatis hos homines progreſſos, vt trãſanimationẽ (quod dicitur) Pythagoræam admitterent, hoc ſolùm temperamento, quòd ſolas bonorum tranſire in alia corpora, malorũ autem animas ſupplicio cruciandas aſſererẽt. Quomodo denique à falſo vindicabit, quod in ſacris libris dicitur, Antiochum regnaſſe anno CXXXVII regni Græcorum, cùm ex ipſis Gręcorum Annalibus, & Euſebij Chronico conſtet, eundẽ Antiochum regno demum præfuiſſe anno CLIII? niſi ex hiſtoriis collegerit, Hebræos Græcorum Monarchiam computare ſolitos

Ioſeph. antiquit. xv. cap. x. Bar. ibid.

Mat. XIV. Mar. VIII. Luc. IX.

Marcus & Matthæus explicati.

Ioſeph. de Bel. Iud. II cap. VII. Bar. in Annal.

I. Mach. cap. I.

Vide Euſeb. Chro. & lib. de temp.

ſolitos à Seleuco Nicanore; non ab Alexandro, vti Græci; ideoque verborum, non rerum, illam eſſe diſſenſionem. quod monuit me nuper eruditiſſimus Theologus, & antiquitatis peritiſſimus Petrus vanden Eynde Lyropius, vir quo nihil ſol hodie humanius videt: & ne videar hiſtoriæ fructus tam vberes intra ſacræ lectionis anguſtias velle coërcere; Traditiones Apoſtolicas non adiumentum modò, ſed robur omne ferè & firmamentum debere hiſtoriæ, nihil vereor aſſerere; cùm fundum ſubſcriptoremque huius aſſertionis habeã Auguſtinum (cùm nomen poſui, ſatis eſt: qui eum non audit, cur ego eum audiã?) is enim diſertè, *Quod vniuerſa*, inquit, *tenet Eccleſia, nec concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* At certè quid tenuerit ſemper Eccleſia, quis meliùs quã omnium ſæculorum veneranda canities decidet arbitrio? omnium temporum extat memoria: nullum ſæculum quod non habuit hiſtoricos. cõuiuia lautiora, ludi, ſpectacula, calcei, veſtes, gladij, calcaria ſi nouitatem redolerent, non tacerentur. profectò ſi ea quæ à maioribus accepimus, alicuius Pontificis, vel alterius denique cuiuſcumque ſtatus vel conditionis is foret, dolo, fraude, vel vi aliquando fuiſſent recepta; nemo vnquã, niſi qui elleboro indiget, negabit hiſtoricos, ſi non omnes, ſaltẽ aliquos; ſi nõ aliquos, vnum certè aliquem eodẽ ſæculo vel ſequenti viuentem, fuiſſe tale quid commemoraturum; & qui Arij, Aërij, Vigilãtij, Neſtorij, Nouatiani, & ſimilium monſtrorum commenta tam accuratè

Ioh. Lucid. Chro. lib. IV cap. III.

P. Lyropius Decanus Harlemenſis.

Traditiones Apoſtol. firmatæ ex hiſtorijs.

Lib. IIII cont. Don. cap. XXIIII

ratè poſteritati teſtata reliquere, nouum hunc religionis articulum, recens dogma vel obſcurè ſignificaturos. nunc verò cùm ea, quæ Orthodoxi tenemus, nullo vnquam tempore poſt

Orthodoxæ fidei antiquitas ſtabilita ex hiſtoriis.

Chriſtum excogitata, alicuius hiſtorici teſtimonio vnquam quis probabit: quis dubitare poterit, hanc maiorum noſtrorum religionem, ab ipſis naſcentis Eccleſiæ viguiſſe incunabulis? nec eſt quòd aliquis hîc mihi obiiciat nebulas aut nugas, quaſi optimè traditionum antiquitatem ex ipſis Patrũ ſcriptis colligat Theologus; nam vt aſſiduus in iis ſit, niſi ex hiſtoria tamen didicerit quo quiſque Patrum ſæculo, qua ætate vixerit, nemo, cui ſinciput ſanum eſt, inficiabitur, ad antiquitatem ſtabiliendam eiuſmodi lectionem, quamuis ſæpe repetitam, hilum non facere. Quis igitur iam ille Thrax, qui neget Traditionum telum hiſtoriarum imperiti lacertis emiſſum hæretico adeò non vulnus, vt

Oecumenicis Conciliis lux ab hiſtoria.

nec liuorem eſſe facturũ? At Oecumenicorum Conciliorum falarica letaliter fortè te hoſtem poſſe tangere ſine hiſtoriarum acie in ipſo ſperas corde? ô hominem alba mente qui hoc credit! opponet ille tibi ſtatim, Concilium Ariminenſe CCCC Pontificum erraſſe cum Ario,

Socr. II cap. XXXVII. Zoz. IV cap. XVII.

Epheſinum II etiam frequentiſſimum cum Dioſcoro; Conſtantinopolitanum verò CCC. Pontificum cum Leone Imperatore; atq; adeò hunc tuum ictum euitare volet ſolo amictu. Quid ages, niſi ex hiſtoriis didiceris Cõcilium

Vide Gil. Genebr. in Chron. & paſſim omnes.

illud Ariminenſe, Liberio Romano Pontifice (qui ſubſcribere nolebat) in exiliũ miſſo, hæreticorum operâ, Conſtantij videlicet Imperato-

ris

ris Ariani,coactum? Epheſinum illud,licet auctore Leone cõgregatum,Dioſcori tamen cùm minis cum pollicitis corruptum,repugnantibus Pontificis legatis, ita nunquam confirmatum, ſed potiùs damnatũ à Leone, & Synodo Chalcedonenſi? Conſtantinopolitanum deniq; iſtud repugnante Pontifice coactum, in VII Synodo generali CCCLXVII Pontificum apud Nicæam reprobatum? Verùm ſi hoſtis huic tuę defenſioni validè reſiſtat, & impudens illud retorqueat telum,celeberrimum & primũ Oecumenicum Nicænum Concilium Conſtantino Imperatore non præſente ſolùm, ſed præſidente celebratum,atque adeò ridiculam illam tuam iactet de auctoritate Pontificis exceptionem; quid ages, niſi ex antiquitatis theſauro collegeris impudentiſſimum hæreticorũ hoc eſſe commẽtum? Conſtantinum adeò non præſediſſe, vt ne quidem, niſi venia ab Epiſcopis impetrata, voluerit aſſidere? & tantum abeſſe, vt iudicem ſe geſſerit in negotio religionis, vt ne priuatis quidem Epiſcoporum querelis arbitrium voluerit interponere, ſed oblatos ſibi ſupplices libellos in ignẽ conijci iuſſerit, adſerẽs ſeſe ſacerdotum iudicẽ non eſſe? De Pontificum verò continua ſucceſſione nihil dicam, nec opus habeo rei per ſe claræ facere lucem, cùm nemo, niſi qui mero meridie non putet lucere ſolem, vnquam ſomniabit, quin omnis huius rei ſeries pendeat ex hiſtoria. ſola enim hiſtoria eſt quæ confirmet Romanorum Pontificum ſucceſſionem integram illibatamq; à D. Petro Apoſtolorum Principe perſeueraſſe, nec, vt recentiores quidam

Theod. hiſt. lib. I c. VII Zoz. lib. I cap. XVII. Euſ. de vit. Conſt. Niceph. VIII c. XIIII.

ſtultiſſimè tradidere, meretricis cuiuſdam,cui Iohannis VIII affingunt nomen, fœdè interruptam. videre igitur vos iam opinor, quá ſe latus orationi meæ campus oſtendat, quàm vaſtum pelagus, ſi, quæcumq; hoc loco ſe offerunt, perſequi, & in ſingulis inſiſtere atq; immorari velim. Maximarum profectò rerum quaſi torrens quidam me ſua multitudine tranſuerſum arriperet, & mentis acies ſplendore tantarum rerum vndique irruente perſtricta hebeſceret. præſtat igitur complicemus vela: & ne fragilis leuiſque noſtra cymba longiùs prouecta, inter confragoſas Theologiæ cautes iis tantùm difficultatum fluctibus obruatur; placidũ ſecurumque noſtræ Iuriſprudentiæ portum occupemus; & quid noſtri Iuriſconſulti hiſtoriæ debeant, iam perſtringamus. Interpellauit hîc Boomius, ignoſce, inquit, ſi ego remeligo tibi in hoc curſu. nodum vnum inijciam, quem ante trãſitum, quæſo, ſoluas. ais tu recentiores quoſdam ſtultiſſimè tradere feminam quandam Iohannem VIII dictã in Romana ſede ſediſſe? at ego illud memini me quoq; legiſſe apud antiquos, Martinum Polonum, Sigebertum, Marianum Scotum, & Platinam, ne tantùm recẽtioribus illud adſcribas. vulgo quoque iactari audiui, ſedem quandam porphyreticam intus perforatam ab eo tempore retentam ſexus explorandi cauſſa: ſtatuam etiam erectam in loco vbi dicitur hic Iohannes peperiſſe: & in publica ſemper ſupplicatione viam hanc Pontifices declinare. qui fumus acer diu mihi in oculis: tu eũ, quęſo, antiquitatis radio diſpelle, & hoc velut ἐπίμετρον Theolo-

Theologiæ cādidatis admetire. Faciam lubens, inquit Huyſmannus: & quoniam multorum ingenia inuoluit, ſcio, hæc fabula, euoluam ea te breuiter, & hærentem transferam quoque per hunc obicem. Illi qui hanc fabulam tradidere, Meretricē hanc litteris & Philoſophiæ Athenis operam volunt dediſſe, Romam deinde veniſſe, publiceque integro biennio ibidem profeſſoris munus obiiſſe, demum anno à Chriſto nato octingenteſimo quinquageſimo, Leone Quarto vita functo, Pontificem electam, ad Eccleſiæ gubernacula duobus annis, & quinque menſibus ſediſſe: imprægnatam in Pontificatu à quodā familiari ſuo, peperiſſe in itinere, cùm ex Vaticano inniſere vellet templum Lateranenſe: eique tum in Pōtificatu ſurrogatum Benedictum tertium. ô ineptiſſimæ ineptiæ! ô impudens commentum! & in quo omnia ſunt eiuſmodi, vt quiuis, qui non eſt tenebris oppletus, facile poſſit perſpicere in hac cauſſa mendacium, ſtultitiam, improbitatem, cum veritate, prudentia, virtute cōtendere. nunquid verè poſſum exclamare, quod in mala nugatoriaque accuſatione euenire ſolet, idem mihi accidere in cauſſa optima? calūniator quomodo crimen commenticium cōfirmet, inuenire nequit: ego res tam futiles, tam inanes, tam leues, tam abſurdas, qua ratione infirmē ac diluam, reperire non poſſum. Quid ais? anno DCCCL hanc feminam in ſede Pontificia ſediſſe? ita, inquis. bene eſt: ergo quiſquis es auritus nō oculat⁹ teſtis, hoc adfirmas: ſed omnes qui vel ſcintillam habent prudentię, Comico, credo, ſubſcribēt adſerenti,

Exploſa fabula de Iohanne VIII femina.

Magd. Cent. Cent. IX c. XX. Theo Bib. Mart. Pol. & alij.

Impudentiſſimè ficta, ſtultiſſimè credita.

Plaut. Truc. *Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quã auriti decem.*
Qui audiũt, audita dicũt; qui vidẽt, planè ſciunt.
Quorſum, inquis? Iam audies; non auritos, ſed oculatos citabo. Poſt Leonem IIII ante Benedictum III, inquis, electus eſt Iohannes. inquiramus ergo an nullus hiſtoricorum hoc tempore vixerit. vixere plures, mi homo. primus occurrit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui non vixit ſolùm eodẽ ſæculo, ſed vixit Romæ, & electioni duorum Pontificum, qui hunc Iohannem veſtrum præceſſerũt, Sergij videlicet II & Leonis IIII, & trium etiam ſequentium, Benedicti ſcilicet III, Nicolai I, Adriani II, interfuit. ipſum audite, licet parum diſertè indiſerto illo ſeculo ſcribentem. *Sanctiſſimus*, inquit, *Leo Papa Quartus obdormiuit in Domino XVI Kal. Auguſti, ſepultus ad S. Petrum; & ceſſauit Epiſcopatus dies quindecim. Quo mortuo, mox omnis clerus Romanæ ſedis, vniuerſi proceres, cunctiſque populus, & Senatus congregati ſunt, Domini clemẽtiam exorãtes, vt beatificum illis in omnibus demonſtrare dignaretur Paſtorem, qui Apoſtolatus culmen regere valuiſſet tranquille. Qui diuinitus æthereóque lumine inflãmati, vno conſenſu, vno conamine Benedictum pro tantis, quibus pollebat, ſacris operibus Pontificem promulgauerunt erigere. miro vero vniuerſa & alacri ſtudio plebs, & populi cœtus ad Calliſti titulum properantes, eum cum Hymnis & Canticis ſpiritualibus ad Patriarchium Lateranenſe perduxerunt, & in Pontificali ſolio collocarunt.* Ecce Leoni quarto poſt quindecim dies ſurrogatum Benedictum tertium, adfirmat oculatus teſtis: qua fronte ergo vos poſt quingentos aut

Probatum id oculatis teſtibus.

Anaſt. Biblioth. in Chrõ. Rom. Pont.

ſexcentos annos auriti neſcio quem Iohannem nobis obtruditis? diſſimulauit, inquitis, homo Romanus in gratiam Romanorum Pontificum fœdam hanc maculam. ineptè. ſi hoc facere voluiſſet, neminẽ toto biennio & quinque menſibus (tanto enim tempore vultis Iohannẽ fuiſſe Pontificem) ſcribere debuiſſet, ne turpiſſimè à poſteris in annorum ſaltem ſerie erraſſe conuinceretur. verùm age, non vtar hoc effugio, veram ſoluendi viam inſiſtam, ſine diuerticulo vllo aut flexu. alium dabo eodem illo tempore viuentem, non Romæ, ne & hunc exiſtimetis auribus Pōtificum aliquid dediſſe, ſed Viennæ, Adonẽ videlicet. Quid ille? ipſum audite. *Pontifex*, inquit, *Romanus Gregorius moritur, atque eius loco Sergius ordinatur: illo defuncto, ſuccedit Leo: quo obeunte, Benedictus in ſede Apoſtolica ſubſtituitur.* Audite; Leoni non Iohānes aliquis, ſed Benedictus ſurrogatur. quid reſpondetis ad hęc tam clara, tā aperta? adhuc ne excipitis de fide teſtis? alios dabo vbiuis gētium hiſtoricos, loco diſſitos, in hac re concordes. Scripſit ſtatim poſt Anaſtaſium & Adonem Adamarus Lutetiæ Pariſiorum: Leoni ſurrogatum affirmat Benedictum, Ioānis non meminit verbo. ſcripſit eodem loco ante quadringētos annos Annonius; de Ioanne ne quidem per ſomnium cogitauit. ſcripſere Regino Prunienſis ante ſexcētos, Hermannus Contractus, & Lambertus Schafnaburgenſis ante quingentos, Otho Friſingēnſis ante quadringētos, Chūradus de Lichtenauw ante trecentos, Leo denique Oſtienſis, & Ioannes Cremorſenſis; & ne vel verbulo quidem Iohannis

Ado Vien. in Chron.

Omnium nationum hiſtorici.

hannis veſtri meminere, diligẽtiſſimi alioquin in ſucceſſione Romanorum Pontificum enumeranda. denique ne ambitioſus videar in nominibus, quæcumque vel opera vel fragmenta ſuperſunt eorum qui diſiunctiſſimi locis ſcripſere totis quadringentis annis ab eo tempore quo Iohannem hunc fingitis Pontificem fuiſſe, tantæ rei ne vel obſcurè quidem meminerunt. legite; illorum in manus omniũ verſantur opera: ſcrutamini; nobis non eſt propoſitum hîc omnium retexere commentarios. omnibus ne fidem abrogabitis? ſaltem ſi Latinis non creditis, Græcis fidem adhibete: in quos nulla cadit ſuſpicio quod gratiæ Romanorum Pontificum aliquid voluiſſent dare; quinimo lubenter, ſi potuiſſent, bella hac occaſione vſi fuiſſent irridendi Latinos. Græcorum igitur euoluite Annales, legite Zonaram, excutite Cedrenum, euoluite Iohannem Curopalatem; Iohannem veſtrum non nouere, Benedictum Leoni ſurrogatum tradidere. At vulgus ſedem dicit inſtitutam ad explorandum ſexum. Vulgus dicit, ſed mendacium dicit, vt omnes norunt qui electioni Pontificis vnquam interfuere: & ne tergiuerſari videar, extant & ab omnibus teruntur libri rituales, & ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ; euoluite, & impudentiſſimum hoc eſſe de inquiſitione ſexus mendacium intelligetis, vti & ipſius Platinæ mox cõfirmabimus teſtimonio. Simile eſt quod de ſtatua fingitis, quam nemo vnquam vidit, pinxit: & certè qui ſanitatis aliquid habent, nihil abſurdius poſſe dici facilè percipiunt. etenim ſi gratia Romanorum Pontificum

Idem ſtabilitum Græcorum teſtimoniu.

Exploſa fabula de ſede ad explorandum ſexum.

tificum diſſumulauere hanc rem omnes tanto tempore hiſtorici;quid ſtultius quàm adfirmare Pontifices ipſos huius rei memoriam in ſtatua voluiſſe extare? & ne aliquo videar velle vti effugio,ipſe Leo IX Pontifex Romanus anno à virginis partu milleſimo & vigeſimo ad Michaëlem Conſtantinopolitanum & Leonem Archidanum Pótifices miſſa epiſtola his vtitur verbis: *Abſit autē vt velimus credere, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contigiſſe, vt Eunuchos, contra primum S. Nicæni Concilij capitulum, paſſim promouendo feminam in ſede Pontificum ſuorum, ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileque facinus, & ſi enormitas ipſius, vel horror, fraternáque beneuolentia non permittit nos credere; conſiderata tamen incuria veſtra erga Sanctorum cenſuram Canonum, qui Eunuchos in aliqua parte corporis imminutos non ſolùm ad clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter & ſolenniter adhuc promouetis, fieri potuiſſe penſamus.* Vide Leon. in d. epiſt. cap. XXIII. O locus epiſtolæ opportunus, & auro cótrà non carus! & quo facilè protelem omnia aduerſariorum tela. hæc enim noſtra eſt ſermocinatio. Obiicit pro graui crimine Leo Pótifex Græcis, quòd aliquando feminam dicerentur creaſſe Pótificem;& tu tam ineptè deſipis,vt exiſtimes, ſi ſimile quid Romanis contigiſſe vel rumor tum fuiſſet, Pontificem auſum fuiſſe huius rei facere mentionem? quæ enim ſtultitia, quæ vecordia,quæ inſania foret id pro graui crimine obiicere aduerſario,quod poſſet in te ilico cum maxima ignominia tua retorqueri? huic vno argu-

argumento ſi quid fabellæ autores poſſunt opponere, illi ſapiant: ego, quod ille inquit, fatuus ſim, non ſolùm ſtultus. hæc origo fabulæ, & portentoſæ hiſtoriç fons. ferebatur vulgi ſermone, Conſtãtinopolitanos feminam Pontificem creaſſe, & ferebatur circa annum milleſimum; extitit aliquis qui id lapſu temporis ad Pontifices tranſtulit Romanos, & ex vano hoc rumore Sigebertus, Marianus, Martinus Polonus, Platina, qui omnes poſtmodũ ſuas edidere Chronologias, hauſere has nugas, & ex ipſis ceteri recentiores. quod ne forte cuiquam ſit dubium, ſingulorum commentarios iam excutiamus: & circunſtantias quas adferunt, non latiori, quod aiunt, ſpecie, ſed ad tenue eliminatas veluti ad quoddam librile perpendamus. Interpellaui hîc ego, &, hoc faſce pro parte te leuabo, inquam, mi Huyſmanne. Sigebertus Iohannis huius in Chronologia nullam vnquam fecit mentionem, ſed impudens aliquis nebulo ſcripta eius interpolauit: cui rei aſſerendæ fidus & adpoſitus mihi teſtis Gilbertus Genebrardus, Lutetiæ Hebraicarum litterarum profeſſor regius, qui diſertè teſtatur cùm in manuſcriptis Sigeberti tale nihil reperiri, tum in Chronicis Guilielmi Naugiaci; in quibus cùm totus liber alioqui Sigeberti exſcriptus ſit, hoc vnũ deſideratur. imo audiui ipſemet ex doctiſſimo viro Michaële Bayo, Academiæ huius (vt trita vtar voce) Cancellario, audiuiſſe ſe ex clariſſimo viro Ioanne Molano, extare in monaſterio Gemblacẽſi, in quo ipſe Sigebertus Monachus fuit, antiquiſſimum mãnuſcriptum exemplar, quod ipſius Sigeberti

Origo fabellæ.

Hiſtorici qui de Iohanna mentionem faciunt interpolati. Gilb. in Chron.

geberti autographum exiſtimatur: id ſe vidiſſe, examinaſſe, & nullam Iohannis feminæ mentionem reperiſſe. Simile de Mariani manuſcri- *Vid. Metrop.* ptis exemplaribus teſtantur viri docti. audiui *Alb. Krant. edit Col.* etiam ex Antonio Heetueldio, ampliſſimo lau- *Aº. ∞.IↃ.* datiſſimoque viro, Conſulari Louanienſi, dixiſ- *LXXIV.* ſe ſibi ſæpius Engelbertum Boonium, grauiſſimum virum, Traiectēſis Moſanæ Eccleſiæ Decanum, huius Ambroſij Boonij noſtri, & Iacobi Boonij ſpectatiſſimæ probitatis ac doctrinæ iuuenis, amici noſtri auunculū, qui etiamnum ſupereſt, vidiſſe ſe Romæ in Bibliotheca Vaticana, antiquiſſima Platinæ exemplaria manuſcripta, ſedulò examinaſſe, & de Ioanne femina ne lituram quidem reperiſſe. Gaudeo, ſubiecit Huyſmannus, & faueo, mi Bernarti: tamen quoniam cum iis agimus qui maximorum virorū autoritatibus non mouētur, ita cūcta agamus, vt, quantū in nobis eſt, quod Comicus ait,

Profectò liqueant omnia, & tranquilla ſint,
Neque quicquam nobis pariant ex ſe incommodi.

ſcriptum concedāmus, nec vllo vtamur effugio, ſed ſcriptorum autoritatem, & ſcripti ſententiam ad lineam rubram & obruſſam exigamus. Platinæ (quem maximi faciūt) verba hæc ſunt: *Iohannes Anglicus ex Maguntia cooriundus, malis artibus (vt aiunt) Pontificatum adeptus eſt: mentitus enim ſexum cum femina eſſet, adoleſcens admodum Athenas cum amatore viro docto proficiſcitur: ibíque profeſſores bonarū artium audiendo tantum profecit, vt Romam veniens, paucos etiam in ſacris litteris pares haberet, nedum ſuperiores. Legendo autem, & diſputando doctè ac acutè tantum beni-* *Plat. de vit. Pont.*

uolentiæ

uolentiæ & autoritatis ſibi comparauit, vt mortuo Leone in eius locum (vt ait Martinus) omnium conſenſu Pontifex crearetur. verùm poſtea à ſeruo compreſſa, cùm aliquamdiu occultè ventrem tuliſſet, tandem, cùm ad Lateranenſem baſilicam proficiſcitur, inter theatrum quod Coloſſeum vocant à Neronis Coloſſo, & S. Clemẽtem, doloribus circumuenta peperit; eóque loci mortua, Põtificatus ſui anno ſecundo, menſe vno diebus quatuor, ſine vllo honore ſepelitur. Sunt qui ob hæc ſcribant Pontificem ipſum quãdo ad Lateranenſem baſilicam proficiſcitur, deteſtandi facinoris cauſſa, & viam illam conſultò declinare, & eiuſdem erroris vitandi cauſſa, dum primùm in ſede Petri collocatur, ad eam rem perforata, genitalia ab vltimo Diacono attrectari. De primo non abnuerim. de ſecũdo ita ſentio, ſedem illam ad id paratam eſſe, vt, qui in tanto magiſtratu conſtituitur, ſciat ſe non Deum ſed hominem eſſe: & neceſſitatibus naturæ vtpote egerendi ſubiectum eſſe, vnde merito Stercoraria ſedes vocatur. hæc quæ dixi, vulgo feruntur, incertis tamen & obſcuris autoribus: quæ ideo ponere breuiter & nudè inſtitui, ne obſtinatè nimium & pertinaciter omiſiſſe videar, quod ferè omnes adfirmant: erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat, ea quæ dixi, ex his eſſe, quæ fieri poſſe creduntur. En fabellæ totius ſeriem, nullis argumentis ſtabilitam, nullis probatis autoribus, ſed obſcuris, & ignotis, ſtulti vulgi denique rumore, vt ipſe fatetur Platina, acceptã, nullius antiqui hiſtorici teſtimonio quàm vnius Martini confirmatam. At quis ille Martinus? Polonus quidam, nõ illuſtris ille vir qui eodem nomine patrum noſtrorum

memoria poſt Platinam ſcripſit; ſed Martinus quidam Polonus fabulis tantùm celebris, cetera obſcurus homo: qui anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, & ſic ſine dubio totis quadringẽtis annis poſt fictum hunc Ioannem Octauum Chronologiam edidit: qui ſolus ſcilicet potuit ſcire quid anno octingenteſimo quinquageſimo ageretur, hiſtoricis illo ipſo ſæculo viuentibus cæcis vel ſurdis, omnibus denique ante eum tam Græcis quàm Latinis ſcriptoribus in ſpiſſam ignorantiam lapſis. An fortaſſe tam diligens tu Martine rerum indagator, vt perceperis quod omnes latuerit? tam grauis, vt nihil hauſtũ ex vano velles, & pro maxima ratione tua debeat eſſe autoritas? Si ita eſſet Martine, reſpõderem tibi cum Tullio, cogitandum tibi ita te grauem eſſe, vt, ſi veritatem velis retinere, grauitatem poſſis obtinere; ſi eam negligas, ita leuem te eſſe, vt omnes intellegant, non ad obtinendum mendacium, ſed ad verum probandum autoritatem valere. nunc quis tu? grauis ſcriptor? imò graphicus nugator. ſcimus te in hiſtoria poſteris tradidiſſe, Pompiliũ, Numæ patrem, primum ſucceſſorem Romuli fuiſſe; Numam Pompilium tribunum plebis creatum; Agrippæ Pantheon Cybeles ædem eſſe; celebre illud Titi amphitheatrum templum Solis fuiſſe; tẽplum quod dicebatur Æternum, ſiue Pacis, ea nocte, qua Chriſtus natus eſt, collapſum, cùm tamen Suetonio, Ioſépho, Plinio, omnibus denique antiquis hiſtoricis teſtibus conſtet, templum illud idem domitis Iudæis à Veſpaſiano Imperatore demum fuiſſe conſtru-

De Martino Polono ſententia noſtra.

Vide Chro. Mart. & lib. de Mirab. Rom.

Ineptiſſimæ ineptiæ Martini.

Suet. in Veſp. Ioſ. De bel. Iud. lib. VII c. XXVII. Plin. lib. XXVI c. XXX

ctum; & eiuſmodi ineptiſſimas ineptias quaſi infinitas: & tecum nos contendimus? tuam autoritatem veremur homo pepone inſulſior? Interfatus hic Boomius, nihil nos mouet Martini autoritas, inquit, quem multo maiora deliria ſcimus deliraſſe: ſed

Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.

Laonicus Chalcocõdyla Græcus hiſtoricus Iohannis feminæ meminit: vide igitur ne huius autoritate ſe niti dicant recentiores, & aberraſſe tibi mentem adſerãt, cùm mox diceres Græcos huius rei non facere mentionem. Opportunus tu mihi monitor mi Boomi, inquit Huyſmannus: ſed nec Laonicus hic fuco vel fumo claram hanc lucem obſcurabit; vixit enim ille anno reſtitutæ ſalutis milleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo ſecundo, & hiſtoriam, quam ab anno fere milleſimo tricẽteſimo auſpicatur, decem libris ad hæc ſua tempora deduxit; atque adeò pluſquam ſexcẽtis annis poſt fictum hunc Iohannem, ducentis poſt Martinum Polonum ſcripſit. quàm autem probatæ fidei & eius ſit teſtimonium, ex eo quoque liquet, quòd paſſus ſibi ſit perſuaderi, & in eadẽ ſua hiſtoria poſteris tradiderit, in Britannia & vicinis Europæ regionibus hunc morem receptum, vt cùm quis primùm amici domũ ingreditur, cum vxore eius faciat illud quod Catullus cum Lesbia ſua ſolet: in peregrinationibus quoque ſolemne eſſe, vt amici vxoribus vtantur mutuis: quo quid ineptius tradidit vnquam ineptiſſimus? breuiter ergo, cùm oculati teſtes negẽt, nullus totis quadringentis annis exiſtat auritus, primus autor graphi-

Chal. lib. 11 colum. CCCXVI.

graphicus ſit fabularum architectus, ſi ego hîc finem dicendi facerem, ſatis fidei, ſatis diligentiæ, ſatis cauſſæ & controuerſiæ, ſatis & vobis feciſſe videar, cur ſecundùm nos lis dari debeat: ſed alia multo certiora, multo clariora teſtimonia habeo, quæ ſplendore ſuo vno momento diſpellent omnes harum nugarum nebulas. quod fortaſsè ne vanè & inaniter iactare me opinemini, quæro ab iis qui hæc talia fingunt, ánne hæc femina litteris operam dederit Athenis? ita inquiunt. ô dementiam! ſi mihi fidem abrogatis, conſulite antiquos hiſtoricos omnes, & tempore quo fingitis Ioannem vixiſſe, ne nomen quidem Academiæ, ne veſtigium vllum litterarum Athenis fuiſſe reperietis. ſcio, ingeret fortè aliquis, per multos ánnos litteras Athenis in exilium eiectas. ſed hoc quoque ſcio, reuocatos profeſſores, reſtitutam denuo Academiam. bene agis. quo tempore? Michaëlis Imperatoris, cùm ſine Theodora matre ſolus regnaret. optimè. quo anno? poſſimus hoc quoque ex te audire? dic ſodes: quid taces? dic, inquã, annum. à Chriſto nato octingenteſimum quinquageſimum ſextum. ô homines præſtigiatores: femina hæc, inquiunt, quæ ſtuduit Athenis adoleſcens, electa eſt Pontifex anno octingenteſimo quinquageſimo, & vixit tantùm in Pontificatu annis duob⁹, quinque mẽſibus, vel, vt alij, menſe vno, diebus quattuor. litteræ reſtitutæ anno octingẽteſimo quinquageſimo ſexto. hui! quid hoc monſtri? poſt mortem ne ſtuduit? nihil ne pudet qui hoc conceditis, quod ne mendacio quidem tegere poſſetis? pergo. Ioannes Anglus

Series narrationis de Iohanna falſa.

Zonaras, Cedrenus, & alij Græci omnes in Chron.

Hoc anno ipſe Bibliãd. ponit Imper. Michaëlis, remota matre.

hic ex Magũtia (rides, an ringeris, lector?) nouo prodigio poſt mortem in litteris inſtitutus Romam venit, litteras ibidem publicè profitetur. Quid ais? Romæ litteras profeſſum publicè? mendaciũ eſt. ſcrutamini antiquorũ hiſtoricorum omniũ ſcripta; & ſi vel vnus aliquis vllum publicum profeſſorem hoc tẽpore Romæ fuiſſe ſcripſerit, vapulem ego. ô circulos! tranſeo. concepit, inquis, in Pontificatu, & in itinere peperit, cùm ex Vaticano inuiſere vellet Eccleſiã Lateranenſem. acutè; quia in Vaticano Pontifices habitant. at nos ſcimus, & omnes qui vel in limine vnquam antiquitatis verſati, Pontifices non in Vaticano, vti hodie; ſed in Lateranenſi palatio habitaſſe vſque ad Bonifacium IX, circa annum videlicet humanæ ſalutis milleſimum tricenteſimum nonageſimum, atque ita quingentis quadraginta annis ferè poſt huius veſtri commentitij Ioannis obitum: vnde profectò iam clarũ eſt (ſi quid ſit in natura clarum) Comici verbo, lapide ſilice ſtultiores, qui tam inſulſa, tam ridicula, tam inepta diuulgant pariter ac credunt. ego, ne, ſi diutius his immorer, lucem luci addere velle videar, ad Iuriſprudentiam meam pergo. Vnũ, ſubiecit Boomius, adhuc dubium fac non dubium, & beabis. Si nunquam femina Pontifex (vti fidenter iam credo) quid tamẽ cauſſæ, quòd in publica ſupplicatione locum, in quo dicitur peperiſſe, Pontifices declinant? Si etiam antiqui hiſtorici in catalogo Pontificum texendo bona fide verſati, vnde igitur tanta diuerſitas in recenſendis huius nominis Pontificibus, dum alij vltimum volunt fuiſ-

Magdeb. Cent. & alij.

Vide Onuphr.

Obiectio pro Iohan. Pont.

ſe

ſe Iohannem XXIII, alij XXIIII? Stipulæ, inquit Huyſmannus, hæc, & paleæ, quæque non ferent primam ex Rationis ſilice excuſſam ſcintillam. Prius ridiculum vulgi cõmentum eſt: ſcio enim ego, & ſciunt mecum omnes qui Romæ fuere, Pontificem ideo neceſſariò deflectere ſiniſtra ad coloſſum, quia per mediũ Amphitheatrum, cui via illa reſpondet, ob loci anguſtiam cum tanto comitatu commodè tranſire nequeat: præterea multos Pontifices poſt ficti huius Iohannis obitum per hanc eandem viam iuiſſe, eruditus Onuphrius, cui memoriæ Romanæ multum debent, & ſemper debebunt, diligentiſſimè obſeruauit. diuerſitas verò in huius nominis Pontificibus recenſendis occepit non ab anno octingéteſimo quinquageſimo, quo hanc feminam volunt vixiſſe, & Iohannem VIII dictam, ſed demũ ab anno noningenteſimo quinquageſimo quinto, Iohanne nimirum XII, qui in Concilio Romano damnatus, Leonem VIII in eius locum ſurrogatum, iterum eiecit, & tribus menſibus, XXVIII diebus Pontificatum vi denuo detinuit. vnde, cùm bis Pontifex fuerit, occaſionem dedit erroris, cùm ſequentes hiſtorici non vnum & eundem Iohannem, ſed duos eiuſdem nominis infererent. cui rei fidos ac adpoſitos teſtes non ſolùm doctiſſimos habeo viros, ſed ipſos Magdeburgenſes Centuriatores, qui candidè, inter non multa candida, diuerſitatis huius initium ab hoc Iohanne X I I deducunt, atque adeò proprio ſe iugulant, quod dicitur, gladio. illinc ſtant, hinc cauſſam dicunt. ſi enim fuiſſet aliquando hæc mulier, & gratia

Ea refutata.

Gil. Geneb. in Chron.
Magdebur. Cent. x cap. x
Cent. XI cap. X.

Romanorum Pontificum multi hiſtorici eius Pontificatum diſſimulaſſent, ab ipſa tanquam Iohanne VIII debuiſſet auſpicari diuerſitas, non à Iohanne XII. Quis igitur tam prauo & corrupto ſtomacho, qui, ſi hæc ingerat & demittat, non reuomat & refundat ſtultæ huius opinionis ac fabellę ſuccum? Nos liberati planè, ſubiecit Verannemanus: tu perge cum Muſis beniuolentibus. Pergam, inquit Huyſmannus, & gradum figam in limite magis noto. euaſi ex Theologiæ ſalebris, & ad Iuriſprudentiæ meæ ſemitas deueni, per quas facilior mihi curſus.

Quid Iuriſconſulto accedat ex hiſtoria.

Quid tanquam lacertoſum in acie colloco primum? aut tanquam firmum in Phalangem reijciam vltimum? primum, vltimum, omnia, ſingula in Iuriſprudētia ornamentũ, adiumētum, lumē ſumunt ab hiſtoria. quocumque me animo & cogitatione conuerto, vberius nihil ad dicendum fingi aut fieri poſſe videtur: tāta vbique copia, vt neque poſſet quiſquam, ne ſi mentiri quidem vellet, maiora confingere. verùm cùm verſor in illo ſtadio, quod peranguſtis incluſum regionibus non ſinit orationem veluti equum excurrere liberè, & ad metam præfinitò redire, contineor quaſi contractis habenis intra circum, vt in his & ſtadij & temporis anguſtiis plurimum videar dixiſſe, ſi cum verè clariſſimo eruditiſſimoque Læuino Torrentio, de cuius laude neque hic locus eſt vt plura dicantur, neque plura dici poſſunt quàm omnes boni, omnes litterati memoria tenent, dixero, Iuriſprudentiæ ſtudium tale eſſe, *in quo nemo excelleret, qui non hiſtoriæ ac antiquitatis omnis peritiam ſibi compa-*

L. Tor in præf. Com. ad Suet.

comparaſſet. nec eſt quòd aliquis hîc mihi obiiciat Bartholum, Baldum, Caſtrenſem, Iaſonem, & huius notæ ſimiles viros magnos certè, & ingenij acumine monſtrabiles, ſed adeò maiores multo futuros, ſi antiquitatis facem habuiſſent prælucentem, vt hoc ſuo acumine in re ſæpius planiſſima in omnes ſe iam vertant formas, lamiæ turres, vt ille inquit, loqui, & pectines ſolis, campas Plautino verbo dicere, mente denique videantur exſenſa. exempla tam obuia ac tam prompta vt laboremus in eligendo. ſciunt omnes Iuriſconſulti, matrem pupillo filio coheredem datam per tacitam Pupillarem à filij ſucceſſione non excludi, & huius Iuris articuli clariſſimam Imperatoris Iuſtiniani in noſtro Codice extare deciſionem: quam aliter interpretari nunquam aliquis tentauit noſtrorum, niſi ſolus Bartholus, qui hiſtoriarum ignorantia denſiſſimis tenebris omnia inuoluit, & ſpiſſam nebulam omnium antiquorũ oculis obiecit, dum vult Iuſtiniani illam deciſionem eſſe accipiendam de tacita vulgari, non autem tacita pupillari; ac proinde definiri vulgarẽ ſubſtitutionem expreſſam in ſingularẽ aliquẽ caſum cõceptam continere tacitã vulgarem in alium quemcumque, ita tamen vt tacita hæc vulgaris non impediat, quo minùs mater filio impuberi coheres data ab inteſtato illi ſuccedat. Quam nouam ſuam interpretationem idem Bartholus præcipuè ſtabilitam hoc putat argumento, quòd Iuſtinianus veteres Iuriſconſultos Papinianum & Vlpianũ de propoſito Iuris articulo referat dubitaſſe; quod non niſi ineptè, inquit Bartholus,

Turpiſſimi errores ex ignorantia hiſtoriarum.

L. vlt. C. de Iuſt. reſt. ſubſt. ſub. cond.

Refutatus Bartholus.

Barth. in d. l. vlt.

vnquam dixeris,ſi deciſionem de tacita pupillari intellegas. neque enim tum potuiſſet Papiniano aut Vlpiano propter deciſionem l. precicibus, C.de Imp.& aliis ſub.vllus inhęrere ſcrupulus.videre facilè Iaſon, Caſtrenſis, Fulgoſius, Angelus,aliiq́ue, Bartholi hanc de matre per tacitam vulgarem non excludenda ſententiam nulla Iuris deciſione ſubnixá,nec hilum ad eam confirmandam facere Iuſtiniani reſcriptum, acerrimè tamen inter ſe contendunt,imò ſeriò pugnant,integráſque paginas implent,dum volunt docere,deciſionem d. l. precibus,non impedire,quo minùs Papinianus ac Vlpianus dę hoc Iuris puncto potuerint dubitare. bona verba,quæſo,boni viri: cuius reſcriptũ in illa l. precibus, recitatur?nunquid Diocletiani & Maximiani? omnino. quam igitur ſannam vos molimini,aut quę Intemperiæ vos agitãt? Papinianus ſine dubio ſeptuaginta, Vlpianus ad minimũm ſexaginta annos,anteaquam Diocletianus & Maximianus Imperium Romanũ rexerint,fato conceſſerant:& vos diſputatis an Papiniano vel Vlpiano innotuerit quid Diocletianus vel Maximianus reſcripſerint, vel certę ſuo tempore Iuris dicunt fuiſſe indubitati? ridiculum eſt quod ſubiungã, atque ideo dicam, vt rideatis. reſponderat Ic^tus^ Vlpianus, *Et quidem arbitrum cuiuſcumque dignitatis coget officio, quod ſuſceperit,perfungi; etiamſi ſit conſularis: niſi fortè ſit in aliquo magiſtratu poſitus vel poteſtate, conſul fortè vel prætor; quoniam in hoc Imperium non habet*.hîc noſter Accurſius turpiter hęret in luto; nodum ſtultè nexum, ſtultiſſimè diſſoluit: vult

DD. in d. l. vlt. & in l. precibus. C. de Imp. & alin ſubſt.

Spart. in Ant. Carac. Lamp. in Alex.

L. I I I. §. tractemus D. de Recep. qui. arbit.

Accurſij turpis hallucinatio.

Iuriſcon-

Iuriſconſulti mentem vel manum aberraſſe, eo quòd ſcripſerat Conſularem poſſe cogi, vbi ſemel ſuſcepiſſet arbitriũ, officio perfungi; Conſulem non poſſe: atque in eo eſt vt concludat, hæc inter ſe pugnare, niſi dicas per Conſularem intellegi conſulis filium vel nepotẽ: quod profectò tale eſt, vt in puero ſeptenni ferula hodie plectendum crederet quilibet magiſtellus. nec diſſimile huic eſt non Accurſij modò, ſed antiquorum pænè omnium commentum, dum interpretãtur illud Ic[ti]: *Eſt quoddam genus quaſi in inſulã relegationis in prouincia Aegypto, in Ouaſin relegare.* anxiè quærunt, quid ſit in Ouaſin relegare; & neſcio quam nouam relegationis ſpeciem ſomnient: cùm, ſi vel vnum legiſſent Euagrium Scholaſticum, ſcire potuiſſent nihil aliud ſignificari quã locum deſertũ in Africa, in quem nocentes olim frequentiùs relegari ſolebant. Quis etiam vel Heraclitus non rideat Accurſij Commentarium ad illud acutiſſimi Papiniani reſponſum: *Ideo condemnatus, quòd artiorem annonam ædulitatis tempore præbuit, frumentariæ pecuniæ creditor non videbitur, & ideo compenſationem habebit?* Imo, quod mirere, ex recentioribus etiam viri magni fluctuant, & locum haud ſanum perhibent, ſerioque nitũtur perſuadere, expulſa *ædulitatis* voce, legẽdum *ædilitatis*. continete manum medici, nullum hîc vulnus. adite vel vnum Lampridium, & clarè, non per dioptram, videbitis Iuriſconſulti mentem. Quanta denique digladiatio inter veteres interpretes dum reſponſum hoc Celſi, *Quod alicuius heredis nominatim fidei committitur, poteſt videri ita*

Vlpianus explicatus contra interpretes.

L. VII. §. eſt. D. de inter. & rel.

Euag. Schol. hiſt. lib 1. cap. VII.

Viri docti refutati.

L. XVII. D. de comp.

Bud. Hal. Alciat.

Lamp. in Alex.

Celſo & Paulo Icti lux.

L. Pater. §. vlt. de leg. II.

demum dari voluiſſe, ſi ille extitiſſet heres: vnde ſi heredi pars eius, à quo nominatim legatum eſt, accreſcit, non præſtabit legatum quod Iure cadit; conciliare volunt cum illud Pauli: LVCIVS TITIVS ET GAIVS SEIVS PVBLIO MEVIO DECEM DARE DAMNAS SVNTO. *Gaius Seius heres non exſtitit. Sabinus ait Titium ſolum legatum debiturum: nam Seium pro non ſcripto habendum eſſe. quæ ſententia vera eſt.* Et non vident Celſum temporibus diui Hadriani floruiſſe, Paulum verò Seueri; qui Princeps primus fuit qui ſtatuit legata ab inſtituto relicta, voluntate teſtatoris à ſubſtituto repetita videri: Et poſt hoc Seueri reſcriptum nõ Paulo ſolùm, ſed etiam Vlpiano Celſi aliorumq́ue antiquorum ſentẽtiam diſplicuiſſe ea ratione, quòd coheres, cui deficientis coheredis portio accreuit, non videbatur melioris eſſe debere cõditionis quàm ſubſtitutus. & ne dubitemus Celſi hanc ſententiam contrariam eſſe Pauli; negauit etiam apertè Iulianus, qui Celſo æqualis fuit, coheredem quicquam debere præſtare: ſed, vt dixi, ſentẽtia hæc vetus eſt; quæ poſt reſcriptum Imperatoris Seueri de legatis à ſubſtituto repetitis, poſterioribus iuriſconſultis diſplicuit. quod ne nouum noſtrum eſſe commentum auguremini, profitetur hoc palàm ipſe Vlpianus in L. Si Titio. LXI. §. Iulianus. D. de leg. II. & has adſertiones inter ſe pugnare diſertè adſerit. nec oberit huic ſententię, quod Iuſtinianus inquit nullum contrarium eſſe in Pandectis; omniaq́; ſe, quæ continentur, ſua reſponſa facere. illa enim reſponſa fuere contraria ſuis autoribus, nõ Iuſtiniano,

L. Ciuitat. CXXII. §. 1. de leg. 1.

L. Licet. de leg. 1.

L. Si Titio. LXI. §. Iul D. de leg. II.

L. II. §. contr. C. de vet. Iur. enuc.

no, qui vtrumque non probauit, ſicuti autores ſinguli ſuam ſententiam; ſed diſertè poſtea confirmando (vti fecit) Pauli ac Vlpiani ſententias; Celſi reſponſum videtur tantum relatum voluiſſe ad hiſtoriam: quod alias à Triboniano in Pandectis adhuc factum viri doctiſſimi obſeruauere. vnde imprimis clarum, quãtam lucem futuro Iuriſcõſulto adferat Hiſtoriarum cognitio. Cùm hîc interiungeret paullum Huyſmannus, Varicius ſermonem excipiens, eſt profectò vt dicis, inquit: maximæque curæ eſſe debere vſu ipſo didici Iuſtinianeis nouis, anteaquam Inſtitutionum tutiſſimo portu derelicto ingenioli ſui cymbam in vaſtum Pãdectarum conijciant pelagus, cùm nomina Iuriſconſultorum quorum verba pro legibus in libris noſtris leguntur, tum qua quiſque ipſorum ętate vixerit, exactè vt ſciant. recenſet, ſcio, quamplurimos noſter Pomponius, ſed tantùm eos ferè qui citantur ab aliis, pauculos ex illis quorum de verbis digeſtorum capita velut centones quidam conſuuntur. nec culpãdus tamen ille ideo, quia propoſitum illi tantum videtur, recenſere antiquos, non recẽtiores, aut ſuos æquales: idque in cauſſa fuiſſe credo, quòd viri docti accuratiùs nomina illorum collegerint, neſcio tamen an fauentibus Muſis: quoſdam enim certè prætermittunt, quoſdam extraneos arrogãt, plurimorum ætatem diſſimulant, quorũdam nimis anguſtis limitibus (ſi quid ego poſſum proſpicere) circumſcribunt. Sed hæc aliena forſan ab Huyſmanni noſtri inſtituto: ignoſcet quod interpellarim. Nullum hîc peccatũ, mi Varici, inquam ego:

L. Vnica. C. de cad. tol.

Iuris candidatus ætatem Ictorum inueſtigare debet.

L. 11 de Orig. Iur.

ego: quinimo peccares niſi ſic peccares, adeò tu heri ac hodie ſermonis planè parcus, at nunc emendas. profectò quæ de Iuriſcõſultorum ætate adfers, adeò non aliena ab hoc inſtituto, vt propriè ad iſtud. illuſtri certè virtute ac humanitate vir Nicolaus Oudaertus noſter, Iuriſconſultus ad priſcam laudem cum omni meliore litteratura inſtructiſſimus, tum hiſtoriæ veteris ac recẽtioris ita peritus, vt, vbi is foret, non antiquorum, non recentiorum ſcriptorum libris egeres vllis, ſeriò me nuper monuit, cùm poſterior lex priorẽ abroget, vel ei deroget, nihil eſſe vtilius, quàm legum ac Iuris auctorum quãdam veluti chronologiam inueſtigare. occupa igitur hanc gratiam: & quoniam ambiguè ſatis hæc tradita, vti inquis, ab iis quorum tamen propriè hæc videtur fuiſſe cura; dum interquieſcit paullum Huyſmannus, tu nos doce; & his tenebris lucem aliquam adfer à tua luce. O factum bene, mi Bernarti, ſubiecit Huyſmãnus: ego iam planè ſudo in hoc ſermonum æſtu, atque omnino defeſſus itinere huius diſputationis requieſcam lubenter in Varicij noſtri ſermone, quaſi in diuerſorio aliquo peropportuno. Atqui, inquit Varicius, non nimium liberale hoſpitiũ meum dices: nam te in viam, ſimul ac perpaululum guſtaueris, extrudã, & eiiciam. modicè dicam, ſeu potiùs intra modum. Iuris conditores, quorum verba pro legibus in Pandectis relata, fuere numero XXXVI. Rectè me iudice iudicant, qui vetuſtiſſimum omnium Q. Mutium Scæuolam, Publij filium, cenſent; cuius cùm alibi, tum in Oratore (libro planè digno quem tyrunculi habeant,

N. Oudaerti vera laus.

L. vlt. D. de Conſt. Princ.

De ætate ſingulorũ Ictorum diſceptatio.

beant, vt magni Homeri libros Alexander ille magnus) frequens mentio apud Suadâ noſtram Romanam. Sed vt ille omnino vetus, ſic operâ eius Tribonianus noſter vſus eſt valde raro: quattuor enim ſolùm ex libris eius reſponſa inter omnium Conſultorum noſtrorum retulit. interpellauit hic Boomius. Eia! inquit; quæ tu nobis hic in ipſo veſtibulo obtrudis paradoxa? quattuor tantùm inquis Scæuolæ reſponſa in digeſtis noſtris extare? Conſule, inquit Varicius; & aut ego valde fallor, aut tu non inuenies plura. At ſæpius, inquit Boomius, iam conſului; & dum recordor, minùs tibi quâm antea credo. oculi mei certè mihi perſuadẽt, ſi primum Pandectarum excipias librum, nullũ illuſtrem ferè eſſe titulum in quo non legerint Scæuolæ nomen. legere fateor, inquit Varicius; at non Q. Mutij huius. cuius igitur? ſubiecit Boomius. Ceruidij Scæuolæ, inquit, L. Septimij Seueri postea Imperatoris in iuuentute moderatoris, & acutiſſimi Papiniani præceptoris. hic eſt enim ille illuſtris Scæuola, ex cuius Quęſtionũ, reſpõſorum, regularum, & digeſtorum libris tam frequenter in digeſtis noſtris legiſti reſponſa: non ille Q. Mutius Scæuola Pontifex Maximus, ex cuius libro *ſingulari* ΟΡΩΝ, ſub titulo de Acquirẽdo rer. dom. vnũ, de aqua cottid. & æſt. alterũ, de verb. ſig. tertiũ, & de regulis Iuris quartum pro lege tantùm legi reſponſum: vtcumq; aliàs præſertim apud Pomponium frequentem eius inuenerim mentionem. At quid, ſi hæc diſtinctio tua extra fidẽ apud me ſit? inquit Boomius. At fidos teſtes dabo, inquit Varicius. noſti

Spart. in Caracal.

L. LXIIII. *L. vlt.* *L. CCXLI.* *L. LXXIII.*

Q. Mu-

Q. Mutium Scæuolam libera Republica vixiſſe: at hic alter Scęuola, cuius nomen tā obuium, diſertè mentionem facit Imperatorum. *Quæris* (inquit) *an ingenuitatis iure vtatur is quem ſanctiſſimus ac nobiliſſimus Imperator natalibus ſuis reſtituit.* cedo ſi intellegis Q. Mutium, quis hic nobiliſſimus Imperator? euadere te poſſe ſperas? en alium ictum quem nunquam vitabis. Interpretatur hic noſter Scæuola pluribus reſponſis S. C. Trebellianum, quod Neronis temporibus factum ſcitis Trebellio Maximo, & Annęo Seneca Conſs. imò L. *Si non Lex* LXXXIII *de hæred. Inſt. Temporibus* (inquit) *Diui Hadriani Senatus cenſuit. & L.* III. *de. Tranſ. Imperatores* (inquit) *Antoninus & Verus ita reſcripſerūt.* Palmam accipe, inquit Boomius: ego ſubmitto arma. & ego pergo, inquit Varicius. Interpellauit Lixbonnæus, heus, inquit, mane. dixiſti ſtatim Annæum Senecam cum Trebellio Maximo fuiſſe Conſulem. nunquam factum. Auſonius clare negat, *Diues Seneca*, inquiens, *nec tamen Conſul.* & cum Auſonio conſentiunt Faſti omnes conſulares: excuſſi ſedulò; nuſquam Senecæ, nuſquam Trebellij nomen. rectè vtrumque, inquit Varicius; detrahit Senecæ Conſulatum Auſonius, nomen eius in Faſtis non relatum, & tamen Conſul Seneca. floccos loqueris, inquit Lixbōnæus. imò vera & ſeria inquit. nō ordinarius Conſul Seneca, ſed anno octauo Neronis cum Trebellio ſuffectus in locum P. Marij Celſi & L. Aſinij Galli: atque ita rectè negatur ab Auſonio fuiſſe Conſul, ordinarius videlicet; & ea ratione in Faſtis etiam non relatus, quia (vti mox

L. III *de Nat. reſt.*

L. LXXVI *cū ſeq. ad Treb.*

Annæus Seneca quando Conſul.

Auſ. in Paneg.

mox ex Dione nos docuit Huyſmannus) ſoli ordinarij deſcribebãtur. extraordinarium certè fuiſſe, multi in Iure noſtro loci conuincunt. Q. Mutius Scæuola igitur inter eos, quorum verba in digeſtis relata, ſit primus ętate, etſi non operà. Gallo Aquilio ſecundum tribui locum ſuadet politiſſimus Politianus, ſed nunquam perſuadebit. ego certè adeò non pareo huic deſignatori, vt Gallum hunc Senatu mouere conſtituerim. Ne quid præter legẽ, inquit Vosbergius, ne quid præter clementiam maiorum. tu Gallum Aquiliũ Senatu moueas? ego verò aduocationem peto, vt deliberem. imò ſi pergas, contra vim Tribunos appellabo. fuit Gallus Aquilius nedum Iuriſconſultus, ſed planè celebris. hic ille qui populo Romano probauit ad eam formulam, quam præſcribebat, rectè inſtitui nepotes, & ſine fraude eius iuris quo olim placebat, alienos poſthumos inſtitui non poſſe. Gallo denique huic tribuẽdum, quòd omnium rerum obligatio in ſtipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur: quo argumento igitur tu eum Conſultorum moueas Senatu? claro, inquit Varicius, & bono. refert Galli illud de inſtitutione poſthumorum conſilium Scæuola; citauere celebrem Aquilianam ſtipulationem Papinianus, Vlpianus, Florentinus; meminere aliàs quoque Iuriſconſulti noſtri huius Galli: at certè meminiſſe debes quod antea pręmonui, me catalogum non eorum texere qui citantur, ſed eorum quorum ſunt ipſa verba, & ſub eorum quidem nomine pro legibus in digeſtis relata. At certè omnibus Iuris libris nullum

L. 1 ad S.C. Trebel. Inſt eod. §. reſtituta.

Epiſt. lib. v.

Vir doctus refutatus.

L. Gallus de lib. & poſt.

L. IV & V de Transf. L. XVIII de Accept.

lum Tribonianus Galli Aquilij intexuit reſponſum: niſi vnicum illi forte velles adſerere, quod exigui momenti ſub tit. de verb. ſig. extat in hæc verba, *Paries eſt, ſiue murus ſiue maceria eſt. Item via eſt, ſiue ſemita ſiue iter eſt.* & adſignatur nedum in Pandectis Florentinis, ſed M S. Aelio Gallo, non Gallo Aquilio. Rectiùs igitur & meliore iure ſecũdum occupabit locum Alfenus Varus Seruij Ic^ti^ diſcipulus, quem, admirante me ac indignante, à Cõſultorum conſeſſu idem vir doctus excludit: neque enim ſolùm citatur Alfenus, ſed multæ ac præclaræ deciſiones ipſius referũtur verbis. antiquiſſimũ autem fuiſſe & Seruij diſcipulum, ipſo Pomponio ſuffragante doceo. *Ex his auditoribus*, inquit, *plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus, & Aulus Ofilius: ex quibus Varus & Conſul fuit.* hæc ille, & bene; colligo enim ex Faſtis, Varum noſtrum Conſulem fuiſſe cum P. Venutio Nepote, anno Vrbis DCCLIII, ſiue, vt alij volunt, LIV. Nõ ego patronus Politiano, ſubiecit Boomius: quem certum mihi attigiſſe hîc guttam è flumine lethes. ſed vide ſodes ne ad lapidẽ impingas, quem mox tam ſtudioſè vitabas. Lampridius certè in Alexandro inter diſcipulos Papiniani diſertè quendam refert Alfenum: vnde igitur tibi liquet antiquioriſne an recentioris opera vſus ſit Tribonianus? nec eſt quòd euadere te poſſe ſperes cognomine *Vari*, quod nedum à Pandectis Florentinis, ſed omnibus ferè M S. abeſſe annotauit L. Ruſſardus I. C. & ideo paſſim duab⁹ lineolis incluſit. ſcio, inquit Varicius: antiquiori Alfeno tamen adſeram gloriã ſuam non

L. CLVII. de verb. ſig.

Pol. ibid.

L. I. de rec. arb. l. XI de peric. rei vend. l. XLI de dam. inf.

Politiani lapſus.

In edit. Plant.

non magno niſu. Iulius Paulus celeberrimus Iuriſconſultus, Papiniani in præfectura aſſeſſor, notas ſcripſit ad libros Digeſtorum Alfeni, ex quibus reſponſa Pandectis inſeruit Tribonianus. nec dignitas igitur Pauli, nec ratio temporum patitur, vt auguremur Alfenum hunc recentiorem fuiſſe. etenim cùm Papiniani, vt refert Lampridius, recentior hic Alfenus fuerit diſcipulus, temporibus Pauli adhuc nihil ille ſcripſit; vel certè nunquam tãtæ potuit eſſe autoritatis, vt vir doctiſſimus Paulus, grauis ac maturus, è ſchola recenter prodeuntis iuuenis reſponſa interpretaretur. Alfenus ergo ſequetur Q. Mutium: cui comitem do inſigni patre natum, inſignẽ I.C. Labeonem Antiſtium, quem inſtitutum à Trebatio ſcribit Põponius; & cùm offerretur illi ab Auguſto conſulatus, noluiſſe eum honorem ſuſcipere. Quid audio? inquit Verannemanus: Conſulatum recuſauit Labeo? Tacitus acriter in hanc ſententiam pugnat, *Poſtremùm*, inquiens, *obiere eo anno viri illuſtres Aſinius Salonius, M. Agrippa & Pollione Aſinio auis, fratre Druſo inſignis, Cæſarique progener deſtinatus; & Capito Ateius, de quo memoraui, principem in ciuitate locum ſtudijs ciuilibus adſecutus, ſed auo centurione Sullano, patre Prætorio. Conſulatum ei adceleraueràt Auguſtus, vt Labeonem Antiſtium, ijſdem artibus præcellentem, dignatione eius magiſtratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora ſimul tulit: ſed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior. Capitonis obſequium dominantibus magis probabatur. Illi quòd præturam intra ſtetit commẽdatio ex iniuria: huic quòd Conſulatum*

Vid. l. Lumen. de ſer. præd. vrb. L. xxviiii & ſeq. de ſer ruſt. præd.

Pomponius diſſidet à Tacito Annal. iii.

 latum

latum adeptus eſt, odium ex inuidia oriebatur. ecce, iniuriâ Labeoni denegatus Conſulatus: quomodo igitur oblatum recuſauit? Itáne ego ſolus hîc conſulor, inquit Varicius, aut Sphingem me putatis domi habere? certè, vt verũ fatear, opus face & viatico ad conciliaturam inueſtigendam cenſeo. ego ſanè ante lucem quærere occepi, & vereor ne concubium ſit noctis priuſquam inueniam. Tacito de libertate Labeonis vtraque manu ſubſcribit Agellius. *In quadam epiſtola Attei Capitonis* (inquit) *ſcriptum legimus, Labeonem Antiſtium, legum atque morum Po. R. iuríſque ciuilis doctum apprime fuiſſe. ſed agitabat, inquit, hominem libertas quædam nimia atque vecors, vſque eo, vt Diuo Auguſto iam Principe, & remp. obtinente, ratum tamen penſúmque nihil haberet, niſi quod iuſtum ſanctúmque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet.* hæc ille: quem firmo fulcro firmat Suetonius Auguſt. cap. LIIII. *Antiſtius Labeo* (ſcribit) *Senatus lectione, cùm triumuirum legeret M. Lepidum hoſtem olim eius, & tunc exulantem legit: interrogatúſque ab eo an eſſent alij digniores, ſuum quemq; iudicium habere reſpondit.* Fui ea propter aliquando in ea ſententia, vt exiſtimarim Pomponio aberraſſe mentem aut manum. nec vultu aſperneŕe; nam non temere huic homini in hoc capite fidem adhibendam ſæpius fallaci, doctiſſimis viris ſuffragãtibus, facilè docebo. Interpellaui hîc ego: non abhorret à vero hæc tua ſentẽtia, mi Varici, inquam. Gaſpar Louäius tamen in germanũ modum mihi amicus, & ſi quiſquam alius ex iſta iuuentute doctrinæ priſcæ ſciens ac amans, adſertionem Pom-

Lib. XIII cap. XII.

Conciliata forſan hæc pugna.

Cuiac. Lipſ. alijſque.

Pomponij non incommoda interpretatione le-
niri poſſe credit. neque enim ſimpliciter dicit
Labeonem Conſulatum oblatum recuſaſſe:ve-
rùm *cùm offerretur ei ab Auguſto Conſulatus, quo* *L. II de Orig. Iur.*
ſuffectus fieret, noluit eum honorem ſuſcipere. Au-
guſtus ſcilicet Labeonem Conſulem in locum *Vide Liu.*
demortui conſulis creare volebat, quod minùs *lib. v. VI. & IX. & Cic.*
honorificum erat, & libera Repub. etiam omi- *ad Attic. &*
noſum. tu cogita, & quod mauis elige: ego me *Gou. lib. I*
ſoluo iudicato iſto. Illud ſaltem expedi, inquit *Lec. c. XXV.*
Lixbonnæus, Labeonem Antiſtium eſſe cuius
ſcripta habemus, non Domitium Labeonem.
Faciam, inquit Varicius, & quidem citius quàm
in curſu rotula circumuortitur. reſpóſa Labeo-
nis, quæ in digeſtis extant, deſumpta, vt ex in-
ſcriptionibus videre licet, ex libris πιθανῶν, &
poſteriorum: autorem autem horum librorum
fuiſſe Labeonem Antiſtiũ, Agellius mihi teſtis. *Lib. XIII.*
Poſteriorum etiam Iauolenus epitomen fecit, *cap. X.*
cui Domitius Labeo planè æqualis. Labeonem
proximè ſecutus eſt Proculus tẽporibus Otho- *Proculus*
nis & Vitellij, ambiguum tamen antiquioríſne
operâ an recentioris (qui inter diſcipulos Papi-
niani) vſus ſit Tribonianus. Proculum tempore
Traiani Priſcus Neratius; quem Cõſulem fuiſ- *P. Nerat.*
ſe vt credã, vult Pomponius, ſed nunquã impe- *Æl. Spart.*
trabit. pugnant Faſti omnes Cõſulares, qui nuſ- *in Hadr.*
quam hunc Neratiũ noſtrum agnoſcũt. Non?
inquit Lixbonnæus: at ego memini, Cæſarum *Pomponij er-*
temporibus bis in Faſtis me legiſſe P. Neratij *ror refutatus.*
nomen. Fateor, inquit Varicius: ſed non eſt hic
iuris antiſtes ille quem cenſes, ſed P. Neratius
Marcellus. is bis Cõſul, ſemel imperante Traia-

no, cum Surano, & ſemel temporibus Hadriani cum Iuuentio Celſo. Quis ille Marcellus? inquit Lixbõnæus. Non ipſe Neratius Iuriſcõſultus, inquit, ſed Iuriſconſulti frater. cui adſertioni teſtis ipſe Vlpianus, ad tẽpora tamen Traiani Neratium non adſtringo: nam Hadriano Imperatori fuiſſe ſcio in conſilio, cum multis præclaris Ic^tis quibus imperium Hadriani nobilitatum. floruere enim eodem tempore I. Celſus, & Saluius Iulianus, quibus adiungo P. Iabolenũ & Caium. Heus, inquit Boomius, nimium properas; hos omnes tu ad tempora D. Hadriani adſtringis? Abſit, inquit Varicius: ſequentes Principes vidiſſe ſcio. Iabolenus T. Aurelij Antonini Pij tempore quoque floruit: Caius & Iulianus etiam D. Fratres videre. At quid ſi ego dicam Caium nedum D. Fratres non vidiſſe, ſed nec Hadrianum? inquit Boomius: cùm ex Pomponio obſeruauerim Caium quẽdam Iuriſconſultum Tiberij temporibus vixiſſe, & cum M. Vinucio Quartino Cõſulem fuiſſe. Scribit hęc Pomponius, inquit Varicius, & nebulas offudit multis viris doctis, quibus iampridem dedit lucem clariſſimis ingenij ſui radijs ſplendens Belgij Sol Iuſtus Lipſius. neque enim Caius Iuriſconſultus Cõſul cum Quartino, vt voluit Pomponius; ſed L. Caſſius Longinus, vti egregia diſputatione idem vir doctiſſimus probat. Probat ſcio, inquit Boomius, ſed idem fatetur Iuriſconſultum Caium Caſſium in honore habitũ ſub Claudio, à Nerone pulſum, reſtitutum per Veſpaſianum: quo fulcro igitur tu innixus profiteris te Caium ne quidem ad tempora Hadriani velle

L. Quæſitũ. §. denique. D. de Inſt. & Inſtr. leg.

Spar. in Hadr.

Onuphr. Ant. Aug. Ant. Cont.

In Com. ad VI An. Tac.

velle reſtringere? Firmo, inquit Varicius. alius ille Caius Caſſius à noſtro Caio: cui rei probãdę non abibo longiùs. tẽporibus Hadriani ſe vixiſſe ipſe Caius mihi teſtis. *Noſtra quidem* (inquit) *ætate Serapia Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta eſt cum quinq; liberis, quos vno fetu enixa eſt.* ſuperuixiſſe autem, ipſo etiam Caio doceo authore, qui diſertè multis locis citat reſcripta D. Antonini Pij Hadriani ſucceſſoris. Iulianum verò ſub Hadriano vixiſſe, ex Aelio Spartiano ſcimus: & ſub eodem edictum perpetuum compoſuiſſe, notum iis qui vel in veſtibulo Pandectarum verſati. D. Fratres tamen vidiſſe, imò iis familiarem fuiſſe, clariſſimè textus in l. XVII de iur. patr. conuincit. Hadrianum in imperio ſecut⁹ eſt T. Aurelius Antoninus Pius, cui in conſilio fuere Aeburnius Valẽs, Voluſius Mecianus, Iabolenus, & Marcellus, vti Capitolinus in Pio refert: quem tamen, moneo, vt cum cautela legatis: neque enim ætas horum Iuriſconſultorum Imperio Antonini adſtringenda; Voluſius enim Mecianus magnæ autoritatis fuit apud Antonini ſucceſſores, M. Aurelium Antoninum Philoſophum, & L. Aelium Aurelium Verum Antoninum, qui paſſim in iure noſtro Diui Fratres audiunt, vti ipſimet his verbis teſtantur: *Sed & Voluſius Mecianus amicus noſter, vt & Iuris ciuilis præter veterem & bene fundatã peritiam anxiè diligens, religione reſcripti noſtri ductus eſt, vt coram nobis adfirmauerit, &c.* Marcellum quoque ad D. Pij tempora reſtringere, ſcripta eius non patiuntur. ſcribit enim clarè alibi: *Sententia Imperatoris Antonini Augusti,*

L. Vtrum. §. cùm quedã. D. de. reb. dub.

L. Facta §. reſcripto. D. ad Treb.

L. XI de Iuriſ.

Spart. in Had.

Capit. in M. Ant.

L. XVII de. Iur. patr.

L. III de his qui in teſt. del.

guſti, Pudente & Pollione Conſulibus. quos Conſules fuiſſe ſcimus anno VI Diuorum Fratrum.

Polit. ibid. *Error viri docti.* Iudiciũ igitur viri docti, qui eum ad D. Hadrianum relegat, ex Aedilitio edicto pronũcio non ſanum integrumq;. Hos proximè ſecutus illuſtris ille Ceruidius Scęuola, de quo initio huius

Capit. in M. Ant. Phil. ſermonis ſatis dixi. M. Antoninum Philoſophum præcipuè eo vſum, tantùm iam moneo. Tertullianus accedit, de quo non valde labòrandum, quandoquidem duo tantùm eius reſponſa in omnibus noſtris extant libris. Iaboleni diſcipulum fuiſſe ſatis conſtat. Illud interim moneo, nõ deeſſe viros doctos, qui Tertullianum hunc Chriſtianum fuiſſe aſſerunt, imò

Eccl. hiſt. lib. 11 cap. 11. eundem cuius complures de noſtra religione libros habemus: teſtemque laudare Euſebium, qui ſignatè inter Iuriſcõſultorum ordines Tertullianum refert. Tertulliano adiungo Arrium Menandrum, cuius itidem nullum reſponſum digeſtis inſerere placuit Triboniano, niſi in Septima parte ſub tit. de re militari, Traiani ſæpius meminit, & Hadriani. Interpellauit hîc Lixbonnæus: vide, inquit, ne digiti te fallant: ego certè vnicum adhuc Arrij Menandri reſponſum in Sexta parte recordor me le-

L. xxix. giſſe ſub tit. de liberali cauſſa. Non id me latet, inquit Varicius: ſed variant planè exemplaria, & in pleriſque pro Arrio Menandro legimus, *Furius Anthinus lib.* 1. *ad Edictum*. fuit autem hic Furius Anthinus, ſiue, vt alij legunt, Anthinianus, cum Terentio Clemente Arrio Menandro æqualis. His comitem do Iunium Mauricianum, qui floruit Commodo imperãte, occi-

ſum

ſum mãdato Didij Iuliani, cuius nomẽ in libris *Lib.III hiſt. Iur.ciuil.* noſtris ſatis obuium miror virum doctum neglexiſſe. verùm omnes enumerare non videtur illi fuiſſe curæ: neq; enim ſolũ Mauricianum, ſed nec Anthinum, nec Menãdrum, nec Papyrium Iuſtum agnoſcit; quorum tamen ſcriptis plurima digeſtorum capita accepta ferre debemus. Sed nec ſollicitus ille in diſcretione temporum, ſatis habens dixiſſe, *Alexandri & ſuperiorum Cæſarum temporibus, ac ſtante Repub. multi alij Iuriſconſulti floruerunt.* quem nummum vereor ne vos abnuatis recipere in ſolutum. Pergo igitur, & Hermogenianum, quem idem vir doctus ſub generali illa clauſula comprehendit, diſtinctè refero ad Imperium L. Septimij Seueri, *L.XIIII ad Trebel.* & Antonini Caracallę filij, ipſo Hermogeniano *Spar. in Seuero.* ſuffragante. Quæ eadem ætas habuit (vt Spartiani verbis vtar) iuris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum Aemilium Papinianum, Iuriſconſultum acutiſſimum, æquitatis maximè ſtudioſum. hic Seuero Imperatori à condiſcipulatu valde familiaris, & per ſecundam vxorem affinis, Præfectus Prætorio fuit. huic denique Seuerus moriẽs vtrumq; filium Antoninum Caracallam, & Septimium Getam pręcipuè commendauit; quibus, patre mortuo, Imperium delatum. verùm quid non mortalia pectora cogis cæca regnandi cupido? in ipſo Imperij veſtibu- *Spart. in Geta.* lo Caracalla Getam fratrem interfecit, & turpiſſimum hoc ſcelus fœdiſſimo ſcelere cumulauit. Mandauit etenim Papiniano noſtro, vt apud Senatum & Populum fratris cedem excuſaret. ſed verus Iuſtitiæ patronus, parricidium

defendere vel excuſare apertè recuſauit: ideoq; Caracallæ iuſſu militum gladiis obiectus ſecuri percuſſus eſt. habuit Iuriſcōſultorum hic Princeps Papinianus in præfectura aſſeſſores celeberrimos Iuriſcōſultos Iulium Paulum, & Domitium Vlpianum; qui ijdem poſtea in Conſilio fuere M. Aurelio Seuero Alexandro Imperatori, cui & Vlpianus ſcrinij magiſter fuit. Ex Papiniani ſchola reliqui omnes Iuriſconſulti noſtri prodiere, Pomponius videlicet Africanus, Florētinus, Papyrius Iuſtus, Arcadius, Marcianus, Macer, Calliſtratus, Venuleius, Tryphoninus, & Modeſtinus. Et hi quidem ſunt Iuriſconſulti quibus debemus noſtras Pandectas. Omnes? ſubiecit Vosbergius. viri docti inter eos Sabinū adhuc referunt. Ego non refero, inquit Varicius. nam licet Sabinum noſtrorum notis ſciam celebrem, & ſæpiſſime quoque apud alios eius legerim ſententiam, nihil tamen eius verbis Triboniano relinquere placuit. Reliquit tamen, inquit Boomius, Taruntini Paterni, Saturnini, Truphonini, Iulij Aquilæ, Claudij Saturnini, & Rutilij Maximi: quorum omnium, ſi rectè memini, à te nulla facta mētio. An retulerit hos omnes Tribonianus valde dubito, inquit Varicius. Triboniani certè exſcriptores retuliſſe ſcio. Taruntini Paterni tamen bis tātùm occurit nomen ſub tit. de re mil. & iure immunit. cum maxima adhuc pugna MS. dum alij habent loco Taruntini Macer, nonnulli Marcianus, aliqui Aurelius Arcadius: fuit tamen Tarentinus Paternus præfectus prætorio ſub Commodo, cuius mandato etiam eſt occiſus.

Lamprid. in Alex.

Lamp. in Com.

Satur-

Saturninum ex inſcriptione multarum legum eundē ſcio eſſe cum Venuleio, Truphoninum ſuſpicor eſſe cum Tryphonino: bis enim tātùm in Pandectis Florētinis variatio hæc vnius litteræ obſeruatur. In l. tamen vlt. D. de iur. fiſ. Tryphoninus quidam ad tempora Antonini refertur, & in l. III de ag. lib. tradit Vlpianus, Iulianū à Sexto Cæcilio Africano conſultum. quo argumento elegantiſſimus Cuiacius & Lāpridio fidem abrogare, & Africanū Iuliano ęqualē facere conatur. ego antiquo & bono iure, *Amplius* pronunciandum cenſeo. Iulius Aquila duobus tantū reſponſis notus ſub tit. de adm. tut. & de ſuſpec. tut. Rutilius Maximus, & Claudius Saturninus, ſinguli tantùm vnico. neq; ideo operæpreciū iudico hos referre, aut accuratiùs ætatē inueſtigare, Multa & bona, meo iudicio, dixiſti, inquit Vosbergius: ſed erunt fortaſſe multi qui omnē hanc tuam inquiſitionē tenuem dicent, & ſine dignitate; nonnulli qui ſpernent, vt leuem & curioſam quandam Criticorū curam: imò vide ne non nemo etiam eam rideat tanquam inutilē, ac ſine vllo fructu. Tenuem ſcio eſſe, inquit Varicius, vulgi iudicio, at non ſenſu doctorum; curioſam curam videri pullatis, ſed non purpuratis; ſperni vt leuem, ſed à verè leuibus rideri, ſed ab iis qui eruditorū omnium iudicio maximè ridendi ipſi. neque enim volumus inquiſitionem hanc valere, vt aliquando poſterioris Iuriſcōſulti reſponſum, alicuius antiquioris in digeſtis velimus corrígere. abſit. ſcimus id cum ſententia & mente Iuſtiniani pugnare: verùm illud fidenter adſerimus, nonnun-

Cuiac. Obſer. lib. VII cap. II.

Contra calumniatores oſtenſum quis fructus ex Iuriſconſultorum chronologia naſcatur.

L. II. §. cōn. C. de vet. iur. enucl.

quam veterum & recentiorũ, aliquando æqualium conſultorum ſententias pugnantes in Digeſtis relatas: ſed cõſtitutionem Iuſtiniani ſubſecutam, & vnam ex his ſua autoritate firmantem, diſſonantiæ querelam (vt verbis Imperatoris vtar) diſſoluere, & aliam naturam inducere, diſcordiæ fines effugientem. Quod luculenter in Pauli ac Celſi reſponſis mox oſtendit Huyſmannus: &, ne cuiquam id dubium ſit, claro adhuc vno firmabimus exemplo. notum eſt omnibus Iuriſconſultis, ſi debitor quod debet, leget creditori ſuo ita, vt nihil amplius ſit in legato quàm in debito, legatum nullum eſſe, & pro non ſcripto haberi; quia creditori inutile: qui nihil amplius per legatũ conſequitur, quàm iure ſuo antea habebat. Quod ſi plus erit aliquid in legato quàm in debito, puta ſi debitor quod debuit ex tempore, aut in diem, aut ſub conditione, aut longiore loco, leget creditori ſuo purè, aut citeriore die, vel loco, valebit legatum; propter commodum videlicet repręſentationis. Quo conſtituto, dubitatio non iniuſta naſcitur, quid fieri placeat, ſi viuo teſtatore, debiti, quod creditori legatum eſt, dies venerit, vel conditio extiterit? ea ratione quòd in hoc legato etiam viuo teſtatore repræſentatio locũ habere poſſe deſijt: qua cauſſa ſublata, nec legato locum eſſe dixeris; præſertim cùm legatum in eum caſum recidit, à quo incipere non poterat: quod cùm ſit in rebus debitis obligatio intercidit. placuit nihilominus acutiſſimo Papiniano, legatum tale adhuc valere. extatque hæc Papiniani ſententia in Digeſtis relata l. verbis. v. ad l. Falc.

D. L. 11. §. contr.

De repræſentatione in legatu diſceptatio.

§. Ex cõtrario. Inſt. de legat.

L. Quod dictum. D. de pactis.

L. Pro parte. D. de ſer.

l. Falc. *Nec ſi viuo teſtatore* (inquit) *dies venerit, vel conditio fuerit impleta: fiet irritum quod ſemel competit.* contrariam omnino, & ex diametro pugnantem ſententiam ſuam teſtatam reliquit Iuriſconſultis Paulus, relatam in digeſtis in l. Debitor. LXXXII de leg. II. *Quòd ſi viuo teſtatore* (inquit) *annus ſuperuenerit, dicendum erit inutile effici legatum: quanquam conſtiterit ab initio.* & ne aliquo fuco coneris eas conciliare, agnoſcit ipſe Iuſtinianus eas eſſe contrarias; ſed nominatim ſententiam Papiniani, cōtraria aliorum reiecta, probare ſe profitetur. *Papinianus ſcripſit* (inquit) *vtile eſſe nihilominus legatum: quia ſemel conſtitit. quod verum eſt. Non enim placuit ſententia exiſtimantium extinctum eſſe legatum, quia in eam cauſſam peruenit, à qua incipere non poteſt.* D. §. ex cōt. Inſt. de leg. Eſtne igitur reuera aliquod contrarium in Pandectis? minimè. non ſunt enim loci in Iure cōtrarij: quorum vnus pro iure non habetur, ſed expreſſè reprobatur; vti illa ſententia Pauli, quæ Papiniano aduerſatur. Cur igitur Pauli reſponſum in Pandectis relatum? Cognita Imperatoris deciſione; facile eſt colligere, non ideo relatam, vt valeret, ſed hiſtoriæ cauſſa; vt & iſtos contraria ſenſiſſe, & quid hîc Iuſtinianus præſtiterit, intellegeremus. Quæ ergo iam illa noctua quæ ita cæcutit in ſplendore ſolis, vt non videat quantam Iuriſconſulto lucem adferat, Iuris autorum chronologiam inueſtigare, ætatem ſingulorum ſcire? magnum hoc eſt; ſed aliud adhuc eſt longè præſtantius, vtilius ac ſingulare, & ad cuius æſtimationem quo quiſq; doctior admouerit conſiderationis oculum, eo magis ſuſpiciet hác Iuris

autorum

autorum chronologiam. ſciuere (quod ille inquit.) priuſquam Theognis naſceretur, omnes Iuris cãdidati, quàm familiare ſit ac tritũ vulgo interpretibus, & imperitis quibuſdam baburris, in libris, in colloquijs, in ſcholis, leges Digeſtorum neque paucas & ponderoſas eleuare vel eludere, quaſi per legem aliquam Codicis corrigerentur. citetur, exempli gratia, ex Digeſtis reſponſum aliquod Papiniani, Florẽtini, vel Modeſtini; illi, ne prorſus obmuteſcãt, nõ verebuntur reſpondere, per reſcriptum aliquod D. Hadriani vel D. Pij in Codice relatũ, prædictorum Iuriſconſultorum corrigi reſponſum. adhibeas tu doctorũ ſcholia; abnuẽt, & ſe in nullius magiſtri verba iuraſſe dicent. verba Iuriſconſulti vrgeas; ineptiſſima ſua exceptione obſiſtent. in ſumma, quod habet vetus verbum, Si tu proreta iſti naui es, illi gubernatores erunt. atque hoc pacto firmiſſimum eludẽt argumentum, niſi tu ex hiſtoriis didiceris, qua quiſq; ætate Iuriſconſultorum vixerit, & calamiſtratos iſtos milites in ſolem & puluerem è ſuis vmbraculis euocatos, valẽtiſſima cauſſa, & certiſſima veritate debilites; quàm ſtultũ ſit adfirmare Imperatorem aliquem ſuo reſcripto eius corrigere ſentẽtiam, qui cùm ille ipſe Imperator in viuis eſſe deſiiſſet, natus nondum erat, clarè doceas. Quis ergo iam tam ſtupidus, vt non percipiat, non leuem, ſed maximè grauem; non infructuoſam, ſed omnino vtilem de Iuriſconſultorum ætate inquiſitionem? Reliquum igitur eſt, vt Huyſmannus, qui in hoc diuerſorio ſermonis mei libenter ſe acquieturũ dixerat, tanquam in parũ amœnum locum

Iterum ad hiſtoriam reditum.

locum diuertiſſet, ſatis diu ſe putet requieuiſſe, & iter reliquum conficere pergat. Non inamœne, ſed hilarè & ſuauiter à te acceptus pergam, inquit Huyſmánnus: & dicam iterum quod rideatis. Henricus Fráciſcus váder-Buercht, præſtátiſſimi ingenij, iudicij, ac litteraturæ iuuenis, ampliſſimi Regij Concilij apud Mechlinienſes clariſſimi præſidis Ioannis váder-Buercht, viri, ſi quis alius in Belgio, doctrina & humanitate ſuper omnem nouitiam & ad priſcam laudem illuſtris filius, narrauit mihi nuper, virum quendam cetera haud planè abſurdum, vt illi videbatur, ſuo certè proprio iudicio valde doctum, multis audientibus, ac riſum ſecum vix tenentibus, dixiſſe, ſuſtinere ſe cõtra quoſuis velle, Subſtitutionem, quam exemplarem vocamus, non eſſe directam, eo quòd in iure noſtro legeretur, *Poſt aditam hereditatem directæ ſubſtitutiones non impuberibus filiis factæ exſpirare ſolẽt.* At, inquiebat, exemplaris Subſtitutio non exſpirat aditione: ergo non eſt directa. quoniam ſoli Subſtitutioni pupillari tanquam proprium tribuitur, vt, cùm directa ſit, aditione tamen non exſpiret. Spectatum admiſſi riſum & vos teneatis? quæ enim inſcitia eſt, Diocletiani ac Maximiani reſcripto velle comprehendere, quod poſtea à Iuſtiniano introductum, ne nomine quidem tum tẽporis adhuc innotuerat? Sed ignoſcite: multo maiora deliria delirauit magnus ille Accurſius, non in expoſitione alicuius loci, ſed totius tituli, *De Origine Iuris*; qui noſtræ huius diſputationis heri præbuit argumentum. profectò quotieſcumque lego, in ſomniantis hominis commento

I. vander-Buercht, Regij Preſidis vera laus.

L. v. C. de Imp. & alijs. ſubſt.

Exploſa cuiuſdam Maſci veſania.

L. Humanitatis. eod.

Accurſij ridiculum commentum ad tit. de Orig. Iuris.

mento videor verſari, non vigilantis commentario. Verùm nunquid multo abſurdius? Sed cohibeo me: ſunt enim innumera eiuſmodi; quæ recitare ſi pergã, vereor ne tam de vtilitate hiſtoriæ non videar diſſerere, quàm lacerare eos quos ego vereri didici ac venerari. hoc tantùm volui: Cùm validæ illæ triremes hiſtoriarũ cynoſura deſtitutæ in Iuris pelago ſic interdum fluctuant, videri mihi nulla mente, nullo cerebro; nec ſolùm in Iuriſprudentia tardum, ſed in omni re inconſultum, imò ſtultum, qui miſelli ingenioli horiola ſine antiquitatis gubernaculo in hoc mare nauigare audet. Offerent ſe primo ingreſſu quæ de officio omnium magiſtratuum ac iudicum integro pænè primo Pandectarum libro; quæ de imperio mero ac mixto, de in Ius vocando, de vadimonijs obeundis, de non eximendo eo qui duceretur, Secundo; de his qui notantur infamia, Tertio; tractantur. accedent quæ tam variis multiſque locis de ſollemnitatibus teſtamẽtorum, calatis comitijs, libripende, ære ac libra, de Inſtitutionibus & legatis caducis, de S. C. Silliano ac Claudiano, libertinis, manumiſſionibus, iure patronatus, actione ingrati, iure patriæ poteſtatis, iure aureorum annulorum, cenſibus, deportatis, relegatis, emancipationibus, iure poſtliminij, iudicijs publicis ferè omnibus, de Lege Attilia, Atinia, Cincia, Cornelia, Fabia, Falcidia, Fania, Iunia, Norbana, Papia, Lætoria, Licinia, Papia, Popæa, Petronia, Scribonia, Iulia caducaria, Iulia Titia, Iulia miſcella, aliiſq; quas receñſere longũ foret, enarrantur. quæ ſi quis ſine hiſtoriarum præſidio intellege-

Diſtinctiùs oſtenſum neceſſariam Ic'o hiſtoriarum cognitionem.

tellegere ſe poſſe ſperat, idẽ certè facile exſpectaret, vt de glacie media naſcantur violę, de niuibus roſæ, de pruinis lilia. denique ne ambitioſus videar in nominibus, nullus (audacter dico) illuſtris in iure titulus, qui ab hiſtoria lucẽ non accipiat aliquam. quid igitur ſupereſt, niſi vt ille qui ſine hoc ſole vela ventis in iuris pelago dederit, placidiſſima quæque veluti in cæca nocte tanquam ſcopulos reformidet, portus ipſos veluti Charybdes & Scyllas extimeſcat; difficultatum fluctibus vndiq; ſeptus, portuum ventorumque ignarus, naufragium nũquam euadat? imò, Senecæ ioco, naufragiũ faciat anteaquam nauem aſcendat. At certis voluminibus, inquit Lixbonnæus, ipſum ius habemus à Iuſtiniano diſtinctum, & ex aliis libris citare quid vetamur. optimè. ſed ea mẽte, ne ex aliis libris nouum ius conemur ſtatuere, id quod habemus reiicere, non illud interpretari. id enim ſi vetaret Imperator, quid aliud ageret, quã quòd cupiditatem diſcendi faceret, ſpem auferret, atque adeò deterreret. Cùm euoluis Iuriſcõſultorum ſcripta, ſenſum opinor inueſtigas. ſenſum verò vſpiam adſecuturum quomodo ſperas, verborum ſignificatione, & rerum proprietate non intellecta? nihilo certè aliter, quàm ſi legere velles non cognitis litterarum elementis. Proſiliat nunc aliquis circumforaneus clamator, aut forenſis rabula, attollat ſupercilia, ſuſpẽdat naſum, frontem perfricet: inſuper ſe habere iactet quæ de teſtamentorum ſollemnitatibus, iure patronatus, publicis iudiciis, mero aut mixto imperio, tradiderint antiqui: quos ille ludos, quos iocos

Omnibus Iurus libris lux ab hiſtoria.

Contra forenſes rabulas.

dabit?

dabit: libenter certè aſpiciam illud os, quod vbi vobis oſtendero, reliqua veſtris cogitationibus relinquam. interim hoc monebo, quærere me verum ac genuinum Iuriſcōſultum, non incliti ſtudij degenerem prolem: verum ac legitimum iuſtitiæ patronum, qui non adſpexit, ſed introſpexit; non à limine, quod dicitur, ac veſtibulo ſalutauit, ſed potiùs in penetralia, & in intimam familiaritatem accerſiuit Iuriſconſultorum familias omnes: qui ante lauream non ad Ariſtophanis (quod aiunt) lucernam, ſed etiam ad Cleanthis, lucubrauit: qui citra omnem perſonarum reſpectum ad iuris normam æquitatiſque limam cauſſas omnes examinat, veritatis amans, pacis ſtudioſus, genuina probitate præditus hoc vnum agit, ſua conſilia ac cogitationes huc omnes confert, cliens vt ſuus, quantum æquitatis ratio admittit, quod ſuum eſt, ſine dolo aut fraude mediis legittimis cōſequatur: non autem perfricta fronte, ſolumque impudentiâ inſignes veteratores, qui nulla vel iuris cognitione vel religione imbuti, imò iuris elementis vix guſtatis, ſtatim ad praxin (vt loquuntur) proruunt; & tribunalibus obſtrepentes,

Homer. Iliad. 11. *— σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

*— *Deprauant publica iura,*
Iuſtitiámque fugant, diuûm nil verba verentes.

in foro ad id conſeneſcunt, omnia litibus vt inuoluant, pecuniam per fas ac nefas corradant. quos veros impoſtores, ac publicæ pacis turbatores, cum omnium Iuriſconſultorum indignatione, mœrore, ac gemitu, ſacrum iuris ſtudium tam

tam turpiter maculantes, vt deplorato huic ſæculo verè conuenire videatur illud Poëtæ,

Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cæleſtûm terras Aſtræa reliquit,

non & ex Belgio modò, ſed vniuerſo hominum cœtu tanquam peſtes nocentiſſimas relegandos & exterminandos cenſeo. verùm vt eò, vnde digreſſa eſt oratio, reuertatur; adfer ad iuris ſtudiũ animum hiſtoriarum cognitione præparatum, & ipſa re experibere vana pleraq; eſſe quæ non tyrones modò, ſed veteranos quoque ſæpius attonitos habent. præluceat menti antiquitatis illud lumen, iam apparebit quàm clara interdum non perceperitis, quàm verè cum poëta potuiſſetis dicere:

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis Lucret.
In tenebris metuunt, ita nos in luce timemus.

Diſtinctius nihil amplius refero, cùm quòd inſtituto meo ſatisfecerim, & multorum dierum, multorum voluminum opus eſſet, ſi ſingulis inſiſtere ac immorari vellem; tum quòd plura, ſi operæ vobis eſt, poſſitis petere à vero huius æui Iuriſconſulto Cuiacio, & ſydere Belgij noſtri Lipſio, qui multa præclara collegêre, hiſtoriarum face innumeris legibus lucem dedêre: nec ego is qui aliis bene dicta repetam: Cuiac. in Obſer. lib. Lip. in Com. ad Tac.

* ἅτε μαψιλάκας Διὸς Κορινθος. Pindar.

Bernartio etiam noſtrò nihil præripio, cui aliquid hac de re * præ manibus iam eſſe intellexi. verto itaque proram, & ad medicos nauigo. Interpellauit Lixbōnæus: adeóne, inquit, certum tibi obfirmare viam quam ſemel decreuiſti perſequi? agnoſcamus, obſecro, Huyſmanne, victo-

* Sicut nugator aut blaſtero louis Corinthus.
* In notis quas paramus ad Pandectas.

riam à te quæri, non victoriæ ſatietatem. Quid Hiſtoria ad medicos? videte, quæſo, ne poſtrem⁹ actus inconcinnus ineptuſque totam fabulam deturpet. Imò aptus & concinnus, inquit Huyſmannus, plauſum excitabit. Quid ſi Hiſtoriam ipſam dicam ſalutare eſſe medicamentum, & contra ipſos animi, & interdum quoque corporis morbos efficax remediū? Da mihi tyrannum aliquem, qui ſeruis, non ciuibus ſe præeſſe credit, cui nihil iniuſtū videtur quòd fructuoſum, qui cùm Barbaro Tiridato barbarè clamat, *Id in ſumma fortuna æquius, quod validius: Et ſua retinere priuatæ domus de alienis certare regiam laudem eſſe*: cum ſcelerato Caligula ſcelerate iactet, *omnia ſibi, & in omnes licere*: ecce tibi ſtatim ex hiſtoriarū officina animorū medico paratū antidotū. *Imperium facilè iis artibus retinetur, quibus initiò partum eſt. Verùm vbi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate ſuperbia innaſcere, fortuna ſimul cum moribus mutatur. Cuncta Imperia crudelia magis acerba quàm diuturna: neque quemquam à multis metuendū eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. eam vitam bellum æternum & anceps gerere, quoniam neque aduerſus, neque ab tergo aut lateribus tutus ſis, ſemper in periculo aut metu agites. Contrà qui benignitate ac clementia Imperium temperauere, his læta & candida omnia viſa, etiam hoſtes æquiores, quàm alÿs ciues.* & ne nudum reſponſum nullam fidem faciat, ecce tibi ex hiſtoria duplicem gemmam qua conſignet: *Sit ante oculos Nero, quem longa Cæſarum ſerie tumētem ſua immanitas, ſua luxuria ceruicibus publicis depulere.* & iterum, *Dÿ patrÿ primùm mihi*

Quid hiſtoria medicis conferat.

Hiſtoria vera animorum medicina.

Tac. an. XV

Suet. Cal.

Sal. in Cat. & ad Cæſ.

Tac. hiſt. I.

Votum Darÿ expreſſum clementia Alexandri. Curt. lib. IIII.

mihi ſtabilite regnũ: deinde ſi de me iam trãſactum eſt, precor ne quis Aſiæ Rex ſit quam iſte tam iuſtus hoſtis, tam clemens victor. Cedo mihi iterum tumidum aliquem ac inſolentem, qui libidinem ſolùm dominandi cauſſam belli habet, & maximam gloriam in maximo Imperio ponit: ecce tibi medicamẽtum ſalutare ex hiſtoria. *Arbores magnæ diu creſcunt, vna hora extirpantur. Stultus eſt qui fructum earum ſpectet, altitudinem non metitur. Vide ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo etiam aliquando minimarum auium pabulum fuit, & ferrum rubigo conſumit. nihil tam firmum eſt, cui periculum etiam non ſit ab inualido. Proinde fortunam tuam preſſus manibus tene, impone felicitati tuæ frenos, faciliùs eam reges.* & iterum: *Sæpe & contemptus hoſtis cruentum certamen edidit, & incliti populi regéſque perleui momento victi ſunt.* Reſpuit? educ Xerxẽ in aciem quinquagies & bis centenis octoginta tribus militum milibus (Herodoto teſte) ſuperbum, ſex milium omnis generis nauium claſſe maris quaſi dominum; Aſiam Europæ ad Helleſpõtum ponte coniungentem; & doce tantas copias exigua Spartanorum manu ad Thermopylas, duce Leonida, remoratas; claſſem ad Salaminẽ conſilio ac prudentia Themiſtoclis depreſſam. tam elati animi regem vna ſcapha trepidè elapſum, domi à ſuis miſerè confoſſum. Quis ille tam ſuperbus aut inſolẽs, qui poterit reſiſtere Vulcaneo huic ſcuto? Da mihi iterum ſtultum aliquem ob res ſecundas exultantem, vel infida fiducia in principum gratia ſe extollentem: ecce tibi validum

Q. Curt. lib. VII.

Liu. lib. III.

Herod. lib. VII.

Liu.lib. XXX & XLV.

ex hiſtoria antidotum. *Simul parta & ſperata decora vnius horæ fortuna euertere poteſt. nolite præſenti credere fortunæ, cùm quid veſper ferat, incertum eſt.* Si rideat probè monentem, & dulcia hęc corruptus ſtomachus reſpuat remedia; ecce tibi amara quæ mordeant. Polycrates Tyrannus ille Samius adeò ſe iactans fortunatum, vt nihil vnquam fruſtra concupijſſet, ſemel duntaxat vultum mutaſſet, cùm admodum gratum ſibi annulum de induſtria iecißet in mare, quem tamen continuò recuperauit, capto qui deuorauerat piſce, ab Oronte captus, in Michaleſi montis vertice cruci adfixus, auibúſque laniandus relictus eſt. Seianus Tiberianum illud mancipium, Cõſulatum cum prærogatiua quinquennij adeptũ, in publicis Senati litteris ſuum nomen cum ipſius Tiberij videns coniunctum, diuinis honoribus ſuperbum, conuocato Senatu, vt recitarentur litteræ Imperatoris quibus ei collata poteſtas tribunitia dicebatur, quas ſibi lætas ſperabat, pernicioſas cognouit. iuſſu Regij conſulis ſuffecti ducitur in vincula, capite multatur, in Gemonias vnco trahitur, per triduum à populo maximo ludibrio habitũ in Tiberim tandem mittitur. Cedo mihi contra ebrios, & madidos, ſaginæ mancipatos emptóſque: ego illis animorum medicus ex hiſtoria ingeram ſeriam ebrij hominis ſeram pœnitentiam, ſeriò, ſed ſerò plorantẽ Regem illum magnum: *Hanc nutrici meæ gratiam retuli, cuius duo filij apud Miletum pro mea gloria occubuere mortem: hic frater, vnicum orbitatis ſolatium, à me inter epulas occiſus eſt. Quò nunc ſe conferet miſera? Omnibus eius vnus*

Alex. occiſo Clyto per ebriet. Curt. lib. VIII.

vnus ſuperſum, quem ſolum æquis oculis videre non poterit. Et ego ſeruatorum meorum latro reuertar in patriam, vt ne dexteram quidem nutrici ſine memoria calamitatis eius offerre poſſim. Guſtũ aliquem animorum medicinæ dedi ex hiſtoria: nunc, ne, ſi ſingula velim perſequi, vaga & libera nimis oratio mea ſit, adductis habenis manebo intra propoſitum gyrum, & corporis etiam aliquem dabo. Excute Annales, & intelleges Alphõſum Hiſpaniæ regem valetudinem, quam ei ex Hippocrate ſuo vel Galeno reſtituere medici non poterant, ſolius Liuij lectione recuperaſſe: Ferdinandum Siciliæ, quem deſperatæ ſanitatis iudicarant medici, Q. Curtij ſola lectione recreatum atque refectum: Magnum illum Laurentium Medices, Medicę artis fruſtra adſcitis ſubſidiis, vnica illa quæ de Cõrardo III. Imperatore in obſidione Guelphi Bauariæ ducis fertur hiſtoria, ſanitati reſtitutum. Poteram vti, Lixbonnæe, hoc diuerticulo: ſed confide, non vtar, veram docendi viam inſiſtam, ſine vllo flexu. Medico diligenti, priuſquam conetur ægro adhibere medicinã, morbum ipſum cognoſcere, & tum demum prudenter ea quę ars præſcribit, natura ægri patitur, applicare debere, qui nõ videt, ei nihil cauſſæ eſt quin facem etiam in meridie accendamus. Ego id quoque in nocte illuni video, ſubiecit Lixbonnæus. At certè ſi vel mille faces accendas, nunquam videor viſurus quid hoc ad cauſſam pertineat quam tu agis. At faxo vel luſcus diſtinctè videas, inquit Huyſmannus. morbum ipſum cognoſcere facile ac pronum cuiuis etiam de via medico multi putant.

Hiſtoria morbis corporis interdũ medetur.

Medicus inſtruit.

tant. vereor ego vt ſuperbè errent: & cliuos in hoc tramite non paucos ſcio, quos Aeſculapius ipſe nunquam ſuperet, niſi ab Hiſtoria adiutus. fateatur æger morbum, vulnus oſtendat, liceat in promptu habere omnia quæ ars præſcribit; nihil ſibi vindicabit, ſcio, Hiſtoria. nec mirum. Gubernator enim ſi placido mari vehatur, vela ventus à puppi ſemper impleat, artem nuſquam explicabit, & admirante etiam nullo illaudatus & inglorius ſubibit portum: at cùm ſtridunt funes, circumagitur arbor,

Ouid. Triſt. 1.

Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus aduerſa prælia fronte gerit:
Nec leuiùs laterum tabulæ feriuntur ab vndis,
Quàm graue balliſtæ mœnia pulſat onus.

tunc ille clarus, ſi ſalua rate portũ nihilominus pertingit. Sic nec medico in explorando morbo Hiſtoriæ vllus vſus, cùm æger voce & confeſſione artem iuuat: at ſi tegat, diſſimulet, hic labor, hoc opus, hic ſtatus rerũ quo Hiſtoria adhibenda in conſilium: ſolius enim Prudentiæ anchora ſuſtineri poteſt fluctuãs hoc nauigium: Prudentia ſola, quæ quaſi Theſeo filo diriget te in hoc labyrintho, & ducet ad occultũ morbi centrum. Quam ne miremini non in ciuili ac militari modò re, quod heri, ſed etiam in hac medica velle me haurire ex antiquitatis hoc fõte, Principis Philoſophi prudẽs nepos, doctiſſimus ipſe medicus, mihi teſtis. Antiochus Seleuci Regis filius incredibili Stratonices amore flagrabat, oſtium pectoris nulli mortalium recludebat, inedia mori deſtinabat. vocantur expertiſſimi medici, artis præcepta omnia adhibẽt,

Plut. in Demetr.

nihil,

nihilq́; intentatum relinquūt quo occulti morbi huius cauſſam eliceant: tandem deſperatæ ſanitatis Antiochum iudicant. ſolus Eraſiſtratus, Ariſtotelis ex filia nepos, mentem cana hac Prudentia imbutam gerēs, ex ſola ad ingreſſum & egreſſum Stratonices coloris mutatione, morbi cauſſam deprehendit. Hoc iam quale ſit, vidiſtis. morbum habetis, applicemus remedia: quod appoſitè ſæpius non faciet ipſe Galenus, niſi mentem habeat cana hac Hiſtoriarum prudentia imbutam. etenim vt in telis eadem ferri vis eſt, ſed multum intereſt vtrùm excuſſo lacerto torqueantur, an remiſſa manu effluant, à viro vel puero veniant: ſic licet idem ſit remedium quod datur, intereſt tamē quàm maximè quomodo applicetur. quinimo queadmodum folia virere per ſe non poſſunt, ramum deſiderant cui inhæreant, ex quo trahant ſuccum: ſic medicæ artis præcepta, ſi ſola ſint, marcēt; infigi volunt in veræ prudentiæ ramo. *multa & ignorantibus ægris curanda ſunt* (inquit Romanus Sapiens) *& multis mortis cauſſa morbū ſuum noſſe.* Seneca. adde & eam ſæpè ægrorum eſſe conditionem, vt remedia reſpuāt non ſecus ac venena: neque ideo medico ſatis eſt cognoſcere ex arte quid ægro vſui futurum, niſi Prudētia ſuggerat quomodo naturæ ac conditioni vniuſcuiuſque inſeruiat. vultis id oſtendi in lucido hiſtoriarum ſpeculo? omnibus notum, quibus res antiquæ notæ, prudens illud prudentis medici factum in puella regia curāda. abhorrebat illa ſectionem, & ille ſine ferro curare non poterat. Quid egit? dum tumentem mammam leniter fouet, ſcal-

pellum ſpongia tectum induxit, & ita incîdit. Repugnaſſet puella, inquit Seneca, remedio palàm admoto, eandem quia non expectabat, dolorẽ tulit. Nec diſſimile huic ſolers illud ſolertis medici conſilium in phreneſi tollenda. dabat operam cuidam ægro qui cibum capere nolebat, eo quòd ſe mortuum diceret. ſubmiſit qui ſub eiuſdem inſaniæ ſpecie propter illum in lecto collocaretur; & cum ſe mortuum clamaret, cibum nihilominus nõ recuſaret. graphicè agit perſonam perſonatus hic inſanus. ille qui vera inſania laborabat, rogauit ſtatim an mortui etiã ederent? adfirmat alter: atque hoc dicto cœpit magis cupidè mandere. Quo exemplo ductus phreneticus, Et ego quoque mortuorum more pranſurus ſum, inquit. confeſtim itaque cibum ſumere cœpit, pauciſque interiectis diebus ex medici ſententia morbo liberatus eſt. Hæc & ſimilia (ſunt enim ſexcenta eiuſmodi) ſi ex hiſtoriis obſeruauerit medicus, quemadmodum ei qui iaculari diſcit, ſatis eſt initiò ſi manũ formet ad certum locum; poſtea cùm hanc viam ex diſciplina & exercitatione percepit, quocumque voluerit arte ea vſurus: ſic facillimè exempla hæc ad alia quæuis transferet, nec monitorem in ſingulis requiret. Quo conſtituto, quis ille bucco qui neget magnum cùm adiumentum tum ornamentum etiam medico accedere ex hiſtoria? Dixerat Huyſmannus; Lixbõnęus cum ſubriſu, ad Pyrrhonios, inquit, planè deficio, nec eſſe prorſus aut adfirmo poſthac aut nego quicquam. tu perge, quæſo, mi Huyſmanne; &, quod vnicum ſupereſt, quid Philoſophi

Lib. de ira cap. XXIX.

Lycoſt. in the. hum. vit.

Fructus quẽ Philoſophus decerpit ex hiſtoria.

phi hiſtoriæ debeant, & quî fieri poſſit, vt hæc ſtudiorũ varietas non diſtrahat ingenia, iam ex te audiamus. Curabo, inquit Huyſmannus, & alacriter ad huius curriculi calcem properabo. Ceterùm ne Philoſophiæ nomen vos fallat, ſeriò præmoneo, nõ intellegere me illá ſqualidam & perſonatam, quam vulgus hodie tantùm nouit, & quæ malis ſcrupis, malis tribulis ſemitam ad legitimam illam diuam impleuit, in nugis quibuſdam Sophiſticis ſibi placet, in eo ſupercilium attollit, prauis captiunculis ingenia torquet, imò corrumpit: ſed veram illam, ſplendidam, ac claram reginam, quæ mores componit, animum format, nihil opinionis, omnia conſcientiæ cauſſa facere docet, virtutes oſtendit in vero ſuo vultu, adfectibus frenum iniicit, mentem à corpore deducit, animum Deo ac rectæ rationi ſubiicit, & animo ceteras res humanas. Quam Philoſophiæ nomine ſolam intellegunt meliores omnes mentes quâ priſci, quâ recentiores. Romanæ Philoſophiæ Princeps pro priſcis loquetur; attendite, quæſo, diligenter. In diuerſum (inquit) ſapientia & ſtultitia diſcedunt. Cui accedo? in vtram partẽ ire iubes? Tu mihi verba diſtorques, & ſyllabas digeris. Scilicet niſi interrogationes vaferrimas ſtruxero, & concluſione falſa à vero naſcens mendacium adſtruxero, non potero à fugiendis petenda ſecernere. Pudet me: in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt: mus autem caſeũ rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit. Puta nunc me iſtud non poſſe ſoluere: quod mihi ex iſta ſententia periculũ imminet? quod incommodum? Sine dubio veren-

Scholarum abuſus.

Philoſophiæ pars quæ ad mores præcipua vel potiùs ſola.

Seneca Epiſt. XLVIII.

dum ne quando in muſcipula ſyllabas capiam, aut ne quando, ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat. ô pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbã demiſimus? Vis ſcire quid Philoſophia promittat generi humano? Conſilium quid mihi luſoria iſta proponis? non eſt iocandi locus. ad miſeros aduocatus es, quò diuerteris? omnes vndique ad te manus tendunt, perditæ vitæ, perituræq; auxilium aliquod implorant, in te ſpes opeſque ſunt. Rogant vt ex tanta illos volutatione extrahas, vt diſiectis & errantibus clarum veritatis lumen oſtendas. Quid mihi vocũ ſimilitudines diſtin-
Epiſt. XLV. guis, quibus nemo vnquam, niſi dum diſputat, captus eſt? Res fallunt, illas diſcerne. pro bonis mala amplectimur. Adulatio quàm ſimilis eſt amicitiæ! non imitatur tantùm illam, ſed vincit & præterit, apertis & propitijs auribus recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa quo lædit. doce quemadmodum hanc ſimilitudinẽ dignoſcere poſſum. Venit ad me pro amico blandus inimicus, vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt. Temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur, in his magno periculo erratur. his certas notas imprime. Si vis vtique verborũ ambiguitatẽ diducere, hoc nos doce, beatum non eum eſſe quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit; ſed illum cui bonum omne in animo eſt, erectum & excelſum, & mirabilia calcantem; qui hominem ea ſola parte æſtimat qua homo eſt, qui natura magiſtra vtitur, ad illius leges componitur, ſic viuit
quomo-

quomodo illa præſcripſit; quem aliqua vis mouet, nulla perturbat. Quid me detines in eo quē tu ipſe pſeudomenon appellas? Ecce tota mihi vita mentitur, hanc coargue, hanc ad verum, ſi acutus es, dirige. exhortare aduerſus difficilia de æquanimitate: aduerſus ineuitabilia anguſtias tēporis mei laxa: doce non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpatio eius, ſed in vſu: poſſe fieri, immo ſæpè fieri, vt qui diu vixerit, parum vixerit. dic mihi dormituro, potes non expergiſci: dic experrecto, potes nō dormire amplius: dic exeunti, potes nōn reuerti: dic redeūti, potes non exire. Erras ſi in nauigatione tantùm exiſtimas minimū eſſe, quo à morte vita diducitur. in omni loco æquè tenue interuallum eſt. has tenebras diſcute. Diſputationes iſtæ vtinam tantùm non prodeſſent, nocent. hoc tibi, cùm voles, manifeſtiſſimum faciam; & comminui & debilitari generoſam indolem in iſtas argutias cōiectam. Audiuiſtis antiquorum autoritatem; quam firmabo nouo, ſed firmo ac robuſto fulcro. Scholarum hunc (inquit vir incōparabilis) ante annos trecentos aut quadringētos vſum ſiue abuſum cur teneas? ſperne, & reduc omnia ad veterem veramque formam: cui, præter fructū, par dignitas & venuſtas. Quis enim amœnior adoleſcens ad illa tam inamœna veniat? fugiūt imò cum aduenêre: & imbibere nō iniuria ſpernunt abſinthium illud doctrinarum. nos Ariſtotelem reducimus: ſed ipſum, &, ſi me audis, nō ſolum. Ipſum dico, quia obſcuri illi & aculeati Commentarij cui rei? Detorquent rectiſſima ingenia, & in acuminum flexuoſos labyrinthos abducunt

Epiſt. XLIX.

Epiſt. XLVIII.

Lipſ. Epiſt. LXXXIX Cent. I.

ducunt

ducunt à vero Philoſophiæ fine. Ipſum legiſſe & intellexiſſe ſatis ſit, & maxime in iis libris quos hi minimè legunt. Logica illa ætatem eos occupat: concepta ab Ariſtotele fortaſſe nunquam ita ſcripta. Politica quis tãgit? quis de animalibus? aliaque diuina, ob quæ mirati illũ nos & priſci. Nam Ethica ipſa leuiter libant, & velut in tranſcurſu. Scilicet hoc iam diu moribus his obtinuit, vt nulla pars minùs ad Philoſophiam facere cenſeatur, quàm quæ ad mores. Atqui ea præcipua erat, vel veriùs ſola. Hæc ille.

Logica & Phyſica iuuentuti commendata.

Quid igitur? ſpernũt illi, reiicimus nos Logices ac Phyſices præcepta? abſit. melior illis, melior mihi mens. hoc volumus, Logicam Phyſicamque vias non metas, tranſitus non fines, animum iuuentutis, nullius vſui nugis (quarum, proh dolor, hodie nimis obuia ſeges) reiectis, debere pręparare, non detinere: ſolá moralem Philoſophiam eſſe (quam Chriſtiana aſcia adhuc probè volo dedolatam, anteaquam ad hunc admittam principatum) quæ cum Theologia, Iuriſprudentia, Medicina, Theorices ſolium inſidet, clauum vitæ regit. Miſeros errones, & apud omnes ſapientes valde inſipientes, qui Logicá Phyſicámue ad hoc faſtigium volunt euehere, rudimentis his ſolummodo inſtructi Philoſophi nomen ſibi vindicare. Qua diſtinctionis iam face prælucente adſerimus, vt arbori radicem ſi amputes, truncum ſine ſucco relinques; ſic Philoſophiam ſine neruis, ſi ab ea auferas hiſtoriæ venam. Cui rei probandæ nihil opus eſt laborem; facile eſt vincere non reluctantes. ipſi Philoſophi non pedibus modò, ſed vtraque manu

Sic tamen vt non inhæreat.

Exemplis optimè docetur.

in

in hanc ſententiam eunt: Hiſtoriam Philoſophiæ fulcrum agnoſcunt. *Longum iter eſt* (inquit magnus Philoſophus) *per præcepta, breue & efficax per exempla.* Oſtende nobis hoc, mi Seneca, clariùs: cohibere adfectus, ingerere virtutem, Philoſophi munus, doce qui commodiùs id fiat per exempla quàm præcepta. Ex iſtis (inquit) quę terribilia videntur, nihil eſt inuictum. Singula vicere iam multi, ignem Mucius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato; & nos vincamus aliquid. Rurſus iſta, quę vt ſpecioſa & felicia trahunt vulgum, à multis & ſæpè contempta ſunt. Fabricius diuitias Imperator reiecit, cenſor notauit. Tubero paupertatem & ſe dignam & Capitolio iudicauit. Honores repulit pater Sextius: qui ita natus, vt remp. deberet capeſſere, latũ clauum Diuo Iulio dante non recepit. intellegebat enim, quod dari poſſet, & eripi poſſe. Nos quoq; aliquid ex his faciamus animosè. Simus inter exempla. Quare deficimus? Hæc ille. Quàm alte! quàm aptè ad noſtram mentem! nunquam probiùs Philoſophum vult fungi munere, niſi cùm exemplis ex omni memoria petitis doctrinam illuſtrat. Quis igitur tam hebes, qui iam non capit Philoſophum mutum qui de Hiſtoria ſilet? quis tam fatuus, qui fatuum me non iudicet, ſi rebus tam claris probandis diutius immorer? Spina adhuc vna, ſcio, vos pungit, de varietate ſtudiorum; quam vno verbulo tollam. cupio iuuenes Hiſtoriarum cognitione exactè imbutos, anteaquam ad altiorem aliquam ſe conferant diſciplinam:

Senec. Epiſt. VI.

Epiſt. XCVIII.

Adhortatio ad Hiſtoriarum lectionem.

aut

aut ſi qui tempeſtiuiùs huc ſe præcipitarunt, eos poſthac aliquamdiu ſeriam operam antiquitatis cognitioni volo impartiri, nec antea ſe iudicare idoneos qui ad metam tendant. Si titulo iam ſunt inſignes,& ad viros tranſiere, ſeriò cum magno viro ingero: *Quid ſtultius, quàm, quia diu non didiceris, non diſcere? Tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias, &, ſi prouerbio credimus, quamdiu viuas.* Pueritiã te dicis egreſſum, mallem puerilitatem; quæ nunquam te deſeret, niſi cana hac antiquitate animum adſpergas. non debet videri alienum quod tãtum adfert ſplendorem, tantum lumen, tam amplum adiumentum. non deſerere te volo altiores diſciplinas, ſed Hiſtoriam adſerere. Quot horæ per luxum ac negligentiam diffluunt, nulli rei bonæ impenduntur! quàm ſæpe vino eſtis madidi! inertia torpetis! quantum temporis ſomnus, quantum nullius vſui colloquium, quantum officioſa per vrbem diſcurſatio aufert! eia age ſodes, tribuatur aliquid Hiſtoriarum lectioni, tribuatur doctrinæ, quæ tam magnum habet vſum, tam vberes præbet fructus. viam, qua ſine vlla aliorum ſtudiorum id fiat noxa, egregio verſu deſignabit egregius vates.

Sen. Epiſt. LXXVI.

Claud.

—medium non deſerit vnquam
Cæli Phœbus iter, radijs tamen omnia luſtrat.

Interiunxit hîc paullũ Huyſmãnus; deinde iterum ſic occepit: Habetis quæ pro hiſtoria dicenda mihi cenſui: nunc heſternæ ac hodiernæ diſputationis ſeriem, & capita rerum repetamus; & ceu breuibus ceris ingẽtes ſummas, calculatorum more, colligamus. Cum vita ſine

Concluſio & recollectio dictorum.

propo-

propoſito vaga, otium ſine negotio mors ſit; vnicuique propoſitum eſſe debet, vt alicui negotio intentus Dei opt. max. honorē illuſtret, hominibus proſit, ſi fieri poteſt, multis; ſin minùs, paucis; ſin minùs, ſibi; & huius præclaræ voluntatis, cùm res occaſioque ſe offerēt, fidem facere. At nullæ ad hanc metam viæ tendunt, prærterquam duæ: Practices vna, Theorices altera. ergo vnuſquiſque harum aliquá inſiſtere, & firmo pede debet decurrere. Si Practices iter eligat, neceſſe eſt officium ſuum in agendo diſcernat. diſcernere ſine Prudentia non poteſt. Prudentia autem nihil aliud eſt quàm euentorum obſeruatio: rerum præſentium ac futurarum ex præteritis tanquam ex fonte deriuata ſcientia. Res præteritas, earúmue euētus, vel vſu cottidiano, vel ex Hiſtoria diſcimus. vſu tardè, cùm extimæ ætatis ſit propria Prudentia quam largitur: & etiam leuiter, cùm in anguſto hoc vitæ circo multo citius cretam attingamus, quàm obſeruare liceat varios ac mutabiles humanæ rei fluxus. Hiſtoria verò obuia magis, diffuſſa latiùs, non vnius ætatis finibus adſtringitur, ſed omnium ſeculorum gentiumque res geſtas exiguo volumine comprehenſas velut in ſpeculo proponit. ex hiſtoria igitur præcipua Prudentia: ex Prudentia officiorum cognitio: ex officiorum cognitione proba actio. ergo nullus ſine Hiſtoriarū cognitione actionis iter pede recto vnquam peragrabit. Si Theorices trames magis placet; cùm ad inanem contemplationem is dirigi non debeat, vel Theologiæ, vel Iuriſprudentiæ, vel Medicinæ, vel Philoſophiæ ſtre-

nuam & bonam operam nauare debes. At ſine Hiſtoria ſacrarũ litterarum ſeriem, diuinorum librorum interpretum Commentarios, œcumenicorum Cõciliorum vigorem, Orthodoxæ fidei antiquitatem ac conſenſum nunquam explicabit Theologus: ſine Hiſtoria legũ tabulas nunquam intelleget Iuriſconſultus: ſine cana Hiſtoriarum Prudentia, neque morbum ſæpius cognoſcet, neque remedia vtiliter applicabit Medicus: ſine Hiſtoria denique adfectibus frenos nunquam iniiciet, virtutes in vero ſuo vultu oſtendet Philoſophus. ergo qui turpiter in Theorices curſu non vult hærere, Hiſtoriarum cognitionem ſibi debet comparare. Quo iam conſtitutum eſt quod initiò volebamus; ad quemcumque portum in vndoſo hoc vitæ mari cymbam ſuam quis dirigat ſine hiſtoriarum cynoſura, perpetuò fluctuabit. Agite igitur, generoſi adoleſcentes, quorum tenera ætas ſuaui Muſarum lacte in veræ gloriæ ſpem educatur: agite, Hiſtoriam in ſinu, in manibus, in oculis cottidie gerite, fertilem hunc agrum colite, adſiduo lectionis, vt ſic dicam, vomere inuertite; fructus vberes percipietis, quibus ſiue honeſtatem requiratis, nihil præclarius; ſiue vtilitatem, nihil fructuoſius; ſiue iucunditatem, nihil amœnius; ſiue dulcedinem, nihil ſuauius; ſiue ſplendorem nihil illuſtrius, aut ad parãdam nominis immortalitatem firmius aut præſtantius reperiri poteſt. Finierat Huyſmannus, & ſurgebat. ego veſtem apprehendens, quo numero fugis? inquio. Tẽpus admonet, inquit; & ni abeamus, alumnus hic noſter (Solem oſtẽdebat) abibit à nobis,

nobis, & aduerſipedes excitabit. Bellaria ſaltem hæc tange, inquam (intulerat intra ſermonem puer) nec ex hac Cauea nobilis victor diſcede ſine Rude. Adſedit iterum Huyſmannus cum ſubriſu. ego, vocato puero, capaciorem pateram adferre iubeo: cùm attuliſſet, Ocius, inquio, ex his roſis coronam plectilem nobis. Quid paras, amice? inquit Lixbonnæus: vino nos vis deponere, & cum corolla domum mittere? Pax, inquio, à Promulſide debui cariſſimo Verannemano, &, qui fuit diſputationis huius æſtus, nondum potui expedire hoc nomen. Aderat iam puer cum corolla, ego accipiens pateræ impoſui. &; Huyſmannum intuens, Omni litteratura priſca inſtructiſſimo Huyſmanno, inquam, qui tam multa bona heri & hodie nos docuit, vt

More veteri pateræ corona impoſita.

— ſi linguas decem
Habeam, vix habeam rem ſatis qui delicem,

Cæcil.

priſco ritu florem hunc Liberi, flore Veneris coronatum. Eduxi, & Huyſmanno tradēs, Age, inquam, ſodes, à ſummo committe hos ludos. Accipio, inquit, ex defecato animo à defecato Bernartio. Circumlata iam patera, Chriſtiano ritu æternum illud Numen ſupplices venerati, omnes ſurrexere; & amiciſſimè inter ſe complexi, quiſque ad ſe diſceſſit.

Finis conuiuij & ſermonis.

FINIS.



INDEX RERVM AC VERBORVM QVÆ HIS DE VTILITATE LEGENDAE HISTORIAE LIBRIS CONTINENTVR.

A.

Academicorum mos. 84.
de Accurſio ſententia noſtra. 3.
Accurſij ad. tit. de Orig. Iur. commentarius qualis. 3,141.
Accurſij turpis hallucinatio. 120.
Actiaca pugna inter Octauium & Antonium. 99,100.
Admouere lineas. 53.
Adonis Vienñēſis chronologia. 107.
Adamaris chronologia. ibid.
Aeſtimatio ſui peſtis. 40.
Africanus Ic^tus. 136,137.
Alciatus refutatus. 121.
Alfenus Varus Ic^tus. 128.
Alexander Magnus, hiſtoriarum amator. 23.
Alphonſus Rex quanti Liuium fecerit. 24.
Alphonſus Rex lectione Liuij valetudinem recuperauit. 149.
Ambroſius Boomius. 71.
Amicitia bonorum fructuoſa. 1.
Amicitia bonorum facilè conciliatur. ibid.
de Ammiani Marcellini hiſtoria ſententia noſtra. 49.
Amor diſcendi nota bonæ indolis. 6.
Amor quando iudicio noceat. 40.
Anaſtaſij Bibliothecarij chronologia. 106.
Annonij chronologia. 107.
Antigoni Aſſamonai cum Herode bellum. 94.
Antiochus Seleuci filius. 150.
Antonius Heetueldius Ic^tus. 111.
Antonius Sucquetius Ic^tus. 70.
Antoniani gladij. 71.
Iulius Aquila Ic^tus. 136,137.
Arcadius Ic^tus. 136.
Ariminenſe conciliabulum 102.
Arnoldus Vosbergius familiaris meus. 4.
Ariſtoteles Alexandro hiſtoriarum lectionem commendat. 23.
Arrius Menander Ic^tus. 134.
Aſſamonai ex tribu Leui. 92.
Aſſamonai quàm diu rexerint Iudæam. ibid.
Aſſamonai coniuncti cum familia Dauid. 93.
Auguſtus conſiliis toga & militia Hiſtoriam adhibuit. 23.

B.

de Baldo ſententia noſtra. 119.
de C. Baronij Annalibus Eccleſiaſticis ſententia noſtra. 51.
Bartholus refutatus. 119.
de Bartholo ſententia noſtra. ibid.
Baſilij Imperatoris ad Leonem filium liber. 25.
Belli exitus ſemper anceps. 147.
Brutus Polybij hiſtoriam in compendium redegit. 23.
Budæus refutatus. 121.

C.

de C. Cæſaris Commentariis ſententia noſtra. 49.
Cælum vera patria. 79.
Caius Ic^tus. 132.
Caligula interitus. 59.
Calliſtratus Ic^tus. 136.
Canities ſola non adfert prudentiam. 19.

Capi-

Capitolino lux. 133.
Caſſiodori chronologia. 51.
C. Caſſius Ictus. 133.
de Caſtrenſi ſententia noſtra. 119.
Caſar Veranneman familiaris meus. 4.
Cauſa in omni re inquirēdā. 65,66.
Cedreni chronologia. 108.
Celſo Icti lux. 121.
I. Celſus quando vixerit. 132.
Cenſus tempore natiuitatis Chriſti. 94,95,96.
Chriſtiani hominis officium. 9.
Chunradi de Lichtenauvv chronologia. 107.
Ciceronis de Herodoti & Theopompi Hiſtoriis iudicium. 30.
Ciceronis de Thucydidis Hiſtoria iudicium 44.
Ciceronis liber de Oratore commendatus. 124.
Ciuilis vitæ diuiſio. 11.
Clementiæ vis. 146.147.
Commodi interitus. 59.
de P. Cominæi Hiſtoria ſententia noſtra. 51.
Confidentia ſui ingeniorum corruptrix. 40.
Coniectura in ſcriptis D. Gregor. 50.
de C. vlt. extra. de vſuris diſputatio. 67,68,69.
Conſtantinus Imperator quomodo ſe geſſerit in Cōcilio Niceno. 103.
Conſcientia flagrū poſt peccatū. 56.
A. Contij Faſti Conſulares. 97.
Conuiuium. 71.
de Coronis menſarū diſputatio. 72.
Coronæ liberæ Reipub. quales. ibid.
Coronæ principum auo quales. ibid.
I. Cuiacij Icti laus. 84.
de Q. Curtij Hiſtoria ſententia noſtra. 50.
Curioſa quorundam Criticorum trica. 28.29.

D.

Democriti peregrinatio. 20.
Demoſthenes Thucydidem octies deſcripſit. 44.
Deo nihil clauſum. 87.
Dialogiſmi huius cauſa. 2.
Didacus Couaruuias Ictus. 84.
Dio Caſſius affectibus nimium indulget. 31.
de Dionis hiſtoria ſententia noſtra. 45.
Dionyſius Tyrannus. 55,58.
Diſputandi vera ratio. 86.
Diuitiarum gloria fluxa. 87.
Docti cur viuendi. 2.
Domitiani interitus. 59.
Domitius Labeo. 131.
DD. interpretatio in c. vlt. extra. de vſur. refutata. 68.
Druſiani gladij. 71.
F. Duarenus Ictus. 84.

E.

Ebrietatis fructus. 148.149.
Engelbertus Boonius Theologus. 111.
Epheſinum 11. conciliabulum. 101.
Euſebius Arrianus. 35.
de Euſebij Hiſtoria Eccleſiaſtica ſententia noſtra 50.
Euagrij Scholaſtici Hiſtoria. 51,121.
Exanclare. 73.
Exemplorum vis & efficacia. 25, 26,36 64,116,157.
de Exemplari ſubſtitutione diſceptatio 141.
Experimentis optimè credi. 20.

F.

de Faſtis Conſ. Doctorum diſceptatio. 97.
in Faſtis tantùm ordinarij Conſ. relati. 98.127.

Facta in Iure non præſumi niſi probentur. 68.
Ferdinandus Siciliæ Rex lectione Q. Curtij valetudinem recuperauit. 149.
Ferdinandus Veranneman Conſiliarius Regius. 4.
Florentinus Ictus. 136.
Forenſes rabulæ peſtes Reip. 143, 144.
Fortitudo noxia ſine Prudentia. 16.
de Franc. Guicciardini hiſtoria ſententia noſtra. 52.
Fredericus Lixbonnæus inſigni indole iuuenis. 8. *Præceps eius obitus. ibid. Amiciſſimus nobis.* 73.
Furius Antinius Icus. 134.

G.

Gallus Aquilius Ictus. 127.
Gaſpar Louäius familiaris meus. 130.
Gerardus Cauerſonius Ictus. 77.
Gilbertus Genebrardus. 110.
Græci hiſtorici plerumque futiles. 30.
Græcorum hiſtoricorum pugna. 31.
de Græcis hiſtoricis, D. Hieronymi, Ciceronis, & Quintiliani iudicia 30, 31.
Græcorum & Hebræorum diſſenſus in Monarchijs ſupputandis. 101.
Gregorius Nyſſenus. 51.
Guilielmi Huyſmanni vera laus. 1, 2.
Guilielmi Naugiaci Chronica. 110.

H.

Hæreticorum ineptiæ exploſa. 95. 105, 108, 115, 116.
Haloander refutatus. 121.
Herodes quando conſtitutus Rex Iudæorum. 91.
Herodis & Antigoni, Aſſamonæi bellum. 99.
Hermanni Contracti chronologia. 107.
Herodotus. 79, 80, 81.
Hiſtoria vitam priuatam & publicam dirigit. 4. *quid conferat Practica.* 43. *Prudentiæ mater eſt.* 17. *Theſeum filum.* 18. *planum ad Prudentiam iter.* 21, 62. *omnigenis exemplis plena.* 21. *vitæ togatæ & militaris norma.* 21, 24, 25. *ſine periculo inſtituit.* 22.
Hiſtoriarũ imperitus ſẽper puer. 22.
per Hiſtoriam virtutibus & vitiis ſuus honos. 26.
Hiſtoria ad conſilia præit. 22.
quid contra Hiſtoriam dici poſſet. 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 76, 77, 78, 79, 80, 81.
refutata ea quæ contra Hiſtoriam alla'a, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 84, 85, 86, 87, 88, 89, *& ſeq. vſque* 159.
Hiſtoriæ legitima definitio. 42.
Hiſtoria quomodo ſcribenda. 40, 41.
Hiſtorici eſſe, Principum vitia notare. 57.
Hiſtoricus nihil falſi ſcribere debet. 42.
Hiſtoricus nihil veri ſilere debet. ibid.
Hiſtoricus ab adfectibus immunis eſſe debet. ibid.
Hiſtorici quomodo legendi. 63, 64, 65.
Hiſtorici præcipuum officium rerum geſtarum cauſas tradere. 42.
in Hiſtoria quid præcipuè ſpectandum. 64.
Hiſtorias qui malè legant. 63, 65.
Hiſtoria quid cõferat Theorica. 83.
Hiſtoria quid conferat Theologo. 89.

89.90,91,92,93,94,95,96, 97,98,99,100,101,102,103, 104.
Hiſtoria quid conferat Iuriſconſulto. 118,119,120,121,122,123, 124,125,126,127,128,129, 130,131,132,133,134,135, 136,137,138,139,140,141, 142,143,144,145.
Hiſtoria etiam profana ſacras litteras illuſtrant 91,94,96,99, 100.
Hiſtoria firmat Traditiones Apoſtolicas. 101.
Hiſtoria lucem adfert Conciliis Oecumenicis. 102,103.
Hiſtoria firmat continuam Romanorum Pontificum ſucceſſionem. ibidem
Hiſtoria quid cōferat Medicis. 146, 147.148,149.150,151.
Hiſtoria quid Philoſophis conferat. 152,153.154,155.156,157.
ex Hiſtoriarum ignorantia turpiſſimi errores. 119.
Hermogenianus Ic^tus. 135.

I.

Iabolenus Ic^tus. 132,133.
Iacobus Varicius familiaris meus. 4.
Iacobus Boonius familiaris meus. 111.
de Iaſone ſententia noſtra. 119.
Improborum conſuetudo quàm noxia. 12.
Internoſtu. 89.
fabula de Iohanne VIII. *femina Pontifice exploſa & refutata.* 105,106,107,108,109,110, 111,112,113,114,115,116, 117,118 *Obiectio pro Iohanna poſita & remota* 116,117.
de Iohanne XXIII *&* XXIV *Hiſtoricorum controuerſia compoſita.* 117.
Iohannis Cremonenſis chronologia. 107.
Iohannis vander Burcht Regij Præſidu vera laus. 141.
Iohannis Curopalati chronologia. 108.
Ioſephi error notatus. 96.
Ioſephi Hiſtoria non certæ fidei. 33.
de Ioſephi hiſtoria ſententia noſtra. 50.
Ioſephus D. Hieronymo Liuius Græcus. ibid.
de Pauli Iouij hiſtoria vulgi ſententia. 34.
Itidem noſtra. 51.
Iudæi nunquam habuerunt extraneum Regem ante Herodem. 92.
Iulij Africani hiſtoria. 34.
Saluius Iulianus Ic^tus. 132.
Iuriſconſultus debet eſſe peritus antiquitatis. 3,140,141,142,143.
Iuriſconſulto quàm vtilis hiſtoriarum lectio. 118,119,120,121, 122,123,124,125,126,127,128, 129,130,131,132,133,134,135, 136,137,138,139.
Iuris candidatus ætates Iuriſconſultorum ſcire debet. 123.124.
Iuriſconſultorum chronologiam ſcire, quam vtilitatē adferat. 137, 138,139,140.
de Iuriſconſultorum ætate diſceptatio. 125,126,127,128,129, 130,131,132,133,134,135,136.
Iuuentuti monitis opus. 5.

L.

Laonici Chalcocondylæ Hiſtoria. 114.
Ladas curſor. 21.
Lapitharum conuiuium. 74.

De

de Latinis Hiſtoricis F. Vopiſci Iudicium. 32.
Lamberti Schafnaburgenſis chronologia. 107.
Lauini Torrentij vera laus. 118.
Lectio certa prodeſt, varia tantùm delectat. 83.
Leonis Oſtienſis chronologia. 107.
I. Lipſius ocellus & decus Belgica. 53.
Litteræ humaniores Ic^ti vtiliſſimæ. 3
Litteræ humaniores conciliatrices animorum. 1.
Litteræ humaniores omnibus qui in ſuperioribus diſciplinis excellere volunt, neceſſaria. 88.
T. Liuij Phraſis interpolata. 32.
Liuius non ſemper certos habuit auctores. ibid.
Liuius defenſus. 45.
de Liuij Hiſtoria ſententia noſtra. 46.
Liuius Auguſto Cæſari familiaris. ibid.
Liuius ab Auguſto Pompeianus appellatus. 47.
Liuius varietate exemplorum vtiliſſimus. ibid.
de Liuio D. Hieronymi teſtimonium. ibid.
Louanium Muſarum ſedes. 1.
L. vlt. C. de Inſt. & Reſt. explicata. 119.
L. 2. C. de vet. Iur. enuc. explicata. 137, 138.
L. precibus. C. de Imp. & alijs ſub. lux. 120.
L. 3. §. tractemus. D. de Recep. Arb. lux. ibid.
L. 7. de Interd. & Releg. explicata. 121.
Lectio vetus in L. 17. de Comp. defenſa. 121.
L. pater. §. vlt. de leg. 2. explicata. 121.
L. 122 de leg. 1. explicata. 122.
L. verbis. ad L. Falcid. lux. 138.
L. poſt aditam. C. de Imp. & al. ſub. lux. 141.
Legata ab inſtituto relicta à ſubſtituto repetita videri quis primus ſtatuerit. 122.
in Legatis repræſentatio quando locum habeat. 139.
Lucas Euangeliſta explicatus. 94, 95, 96, 97, 100.
Lucullus ex hiſtoriarum lectione peritiſſimus Imperator. 24.
Lycurgus. 20.

M.

Macer Ic^tus. 136.
Maria virgo Deipara quomodo cognata Eliſabeth. 94.
Marcianus Ic^tus. 136.
Mariani chronologia. 51.
Marcus Euangeliſta explicatus. 100.
de Martini Poloni chronologia ſententia noſtra. 113.
Martini Poloni ineptiſſima ineptia. ibidem.
Marcellus Ic^tus. 133.
Iunius Mauricianus Ic^tus. 134.
Matthæus Euangeliſta explicatus. 97. 100.
Medico quid conferat Hiſtoria. 146, 147, 148, 149, 150, 151.
Michael Baius Theologus. 111.
Modeſtia fulcrum adoleſcentis. 40.
Modeſtinus Ic^tus. 136.
Mortalium opera mortalitate damnata. 87.
Multum legendum, non multa. 84.
Munerũ diſtinctio diuino conſilio. 10.

N.

Neronis interitus. 58.
Nicænum I. Concil. Oecumen. 103.

Nicephori Hiſtoria. 51.
Nicetas Choniates. 52.
Niceta hiſtoria commendata. 53.
Nuptia inter tribum Levi & ſtirpem regiam licita. 103.
Nicolai Oudaerti laus. 124.

O.

Oecumenicis Concilijs lux ab hiſtoria. 102.
Officium in omni re diſcernendũ. 14.
Officium prudẽtu in bello ciuili 17.
Onufrij Faſti Conſulares. 97.
de Onufrio ſententia noſtra. 117.
de Optimo vita ſtatu quaſtio inter eruditos. 11.
Optima vita pracepta. 87.
Orthodoxa fidei antiquitas ſtabilita ex hiſtoriis. 101.
Otium ſine negotio mors. 86.
Othonis Friſingenſis chronologia. 107.
in Ouaſin relegare quid Ic^{tis}. 121.

P.

in Pandectis Iuris ciuilis non eſſe contrarium, quomodo intelligendum. 139.
Aemilius Papinianus acutiſſimus Ic^{tus}. 135.
Papinianus prafectus pratorio. ibid.
Seuero Imperatori affinis. ibid.
occiſus à Caracalla. 136.
Iul. Paulus Ic^{tus}. 136.
Parius Iuſtus Ic^{tus}. 136.
Paulo Ic^{to} lux. 121.
Pauli Aemilij Hiſtoria commendata. 52.
Paulus Iouius. 34,51.
Peregrinatio ad Prudentiam conducit 20. *ſed non perducit.* 21.
Petrus Gudelinus Ic^{tus}. 77.
Petrus Lyropius, Decanus Harlemenſis. 101.
Philippi Cominai Hiſtoria commendata. 52.
Philippus Zuerius Ic^{tus}. 77.
Philoſopho quid conferat Hiſtoria. 152,153,154,155.156.
Philoſophia de moribus pracipua philoſophia pars. 157.
Philoſophia ad Chriſtianam veritatem flectenda. 156.
Philologia praparare debet animum, non detinere. 63,141.
Philiſti Hiſtoria. 23.
de Phyſices ſtudio ſententia noſtra. 156.
Plutarchus commendatus. 144.
Plutarchus Iſtria Prafectus. ibid.
Plutarchus Traiani moderator. ibid.
Plauto lux. 73.
Platina de Iohanne VIII *ſententia.* 111.
Philo rerum Iudaicarum peritiſſimus. 93.
Pomponij Ic^{ti}. & Taciti diſſenſus. 129.
Pomponius non certa fidei. 130.
Pomponius refutatus. 131.
Pomponius explicatus. 132.
Pompeius Iudaam debellauit.
Polybius Scipionis Africani ſocius. 44.
Polybij Hiſtoria proba. ibid.
Polycrates Tyrannus. 148.
Pocula coronari ſolita in menſis ſecundis. 162.
Praceptis opus in omni vita ſtatu. 12.
Priſcus Veratius Ic^{tus}. 131.
Propoſitio operis. 13.
Prudentia laus. 14.
Prudentia viuendi ars. ibid.
Prudentia definitio. 15.
Prudentia norma totius vita. 16.
Prudentia omnium actionum trutina. ibid.

Prudentia fortunam regit. 17.
Prudenti non ſemper eundum vno gradu, ſed vna via. 16.
Prudens quis. 18.
Prudentia Chriſtiana & ciuilis. ibid.
Prudentia ciuilis in adoleſcentem non cadit 19.
Prudentem quid efficiat. 20.
Prudens cauſas inquirere debet. 34, 65, 66.
Pupillaris ſubſtitutio tacita quando excludat matrem. 119.

Q.

Quintiliani de Græcis hiſtoricis iudicium. 30.
Quintilius Varus præfectus Syriæ. 96.
Quintus Curtius. 50.

R.

Rationes eorum qui negant hiſtoriam quid conferre prudentiæ. 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34. 35, 36, 37, 38. *Itidem eorum qui adſerunt inutilem eſſe Theologo, Iuriſconſulo, Medico, vel Philoſopho.* 77, 78, 79, 80.
Reginonis Prumienſis chronologia. 107.
Repræſentatio quando locum habeat in legatis, 138. 139.
Recollectio totius operis. 159.
de Romulo & Remo hiſtoricorum pugna. 28.

S.

de Saturnino Ic^{ti} diſceptatio. 136.
Saturninus idem cum Venuleio. 137.
Saluſtij laus. 49.
de Sabino Ic^{ti} diſceptatio. 136.
Sardanapali luxus & interitus. 58.
Sacræ litteræ explicatæ per hiſtorias profanas. 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100.
Scelus rarò impunitum. 59.
Scribam ducere. 73.
Seiani exitus. 148.
Seneca an & quando conſul. 126.
Sigeberti chronologia interpolata. 110.
Simulatio deteſtandum vitium. 4.
C. Sigonij Faſti Conſ. 97.
Q. Mucius Scæuola Ic^{tus}. 124.
Ceruidius Scæuola Ic^{tus}. 125, 134.
Socrates ab Ariſtotele reprehenſus. 14.
Socrates hiſtoricus Nouatianus. 34.
de Socratis hiſtoria ſententia noſtra. 50.
Socratis mendacium notatum. 51.
Subſequa iniuriæ pœna. 60.
vni Studio ſeriò vacandum. 82.

T.

Taciti hiſtoria probiſſima, hoc æuo digniſſima lectu. 47, 48.
Tacitus quo reſpectu à Tertulliano mendacij inſimulatus. 48.
Tacitus acutiſſimus in ſententiis. ibid.
Tacitus Conſul & Prætor. 49.
Taciti & Pomponij diſſenſus. 129.
Tacitus quando Annales ſcripſerit ibid.
de Taruntino Paterno Ic^{to} diſceptatio. 136.
Terentio lux. 73.
Terentius Clemens Ic^{tus}. 134.
Tertullianus Ic^{tus}. ibid.
Temporis iactura ſumptuoſiſſima. 62.
Theopompus. 30.
Theorices finis, fructus, & vtilitas. 11, 12, 86.
Theologi munus. 89.
Theologo quid conferat hiſtoria. 89, 90, 91, 92, 93, 94. 95, 96, 97, 98, 99, 100, 101, 102, 103, 104, 105.

105.106.107.108.109.110 111.112.113.114.115.116.117.118.
Thucydides optimus ſcriptor, immunis ab adfectibus. 49.
Thucydides eloquens 44.
Thucydides idoneus Iudex. ibid
de Thucydide Ciceronis iudicium. 43.
Thucydides ſtirpe regia. 44.
Thucydides à Demoſthene octies deſcriptus. 44.
Tiberius Caſar. 55.
Tyranus nunquam ſecurus. ibid.
Traditiones Apoſtolicæ firmatæ ex hiſtoriis. 101.
Tryphonius Ic^tus. 136.

V.

A. Valens Ic^tus. 133.
Varronis Faſti Conſ. 97.
de Vaticinio Iacob diſceptatio. 91.
Velleius Paterculus adulator. 33.
Veritas hiſtoriæ caput. 38.
Veritatis vis. 57.
Venuleius Ic^tus. 136
Virtus non poteſt eſſe ſine Prudentia. 15.
Viglius Zuichemus Præſes. 84.
Vitæ ciuilis diuiſio. 11.
D. Vlpianus Ic^tus. 136.
Vlpiano lux. 72.
Vlpianus contra Interpretes explicatus. 121.
Vſus ad Prudentiam conducit, ſed non perducit. 21.
Vſus certiſſimus doctor. 37.
Vſus longè ſuper alios magiſtros. 38.
Vſus incommodus tamen quia ſerus & extimæ ætatis proprius. 61.
Vſura nō eſt recipere aliquid propter periculum. 67.
de tacita Vulgari ſubſtitutione Bartholi ſententia refutata. 119.

X.

Xenophon Cyri laudator, non deſcriptor. 31.
de Xenophontis hiſtoria ſententia noſtra. 48.
Xerxes Rex eius exercitus & claſsis. 147. mors. 148.

Z.

Zanedrin Concilium apud Iudæos. 92.
Zanedrim ex proſelytis. 93.
Zeleuci peregrinatio. 20.
Zozomenus Nouatianus. 33.
Zozomeni mendacium notatum. 51.
de Zozomeni hiſtoria ſententia noſtra. 50.

FINIS.

Recognita & mutata ab auctore poſt impreſsionem.

In Præf. ad Lect. linea 43. plura, de re *lege* plura de re; *In Ode paneg. lin.* 32 veterum *lege* grauia *Pagina* 5. *linea* 31. ſubillu- ſtrem *leg.* ſubluſtrem 12, 24. ciues aut *leg.* ciues, aut 17, 21 furtum *leg.* furtim 36. 1. intellegas contra *leg.* intellegas, contra 48, 5. quas *leg.* quos 54, 1. & angulis *leg.* & in angulis 56, 23. dira *leg.* diri 62, 3. Democritis *leg.* Democriti 63, 30 alijs tri- cis *leg.* alias tricas 70, 12 quoqne eſt *leg.* quoque, &c. 71, 15 dentiant *leg.* dentiunt 71, 20 Boonium *leg.* Boomium 72 18 priſca republica *iiſdem characteribus quibus præcedentia* 76, 7. qua iniuria *leg.* quáue iniuria 87, 12 hominum *adde* cohortem 88, 17. armentarium *leg.* armamentarium 89, 16 idem *leg.* eadem 97 3. temporis *leg.* tempore 104, 13 tantum *leg.* tantis 120, 17. ſannam, *leg.* ſamiam 137, 26 leuibus rideri, *leg.* leuibus; ride- ri, 141, 5 & 8 Buercht *leg.* Burcht 141, 6. iuuenis *leg.* viri. 145, 5. non & ex *leg.* non ex 148, 16 ſenati *leg.* ſenatus 158, 19. vſui *leg.* vſus.

Errata typographica.

Pag. 19. *linea* 15 δόti *lege* διότι l. 30 ὄυx *leg.* ὄυχ 49, 7. di- ſcriptis l. deſcriptis 55, 5. Dionyſio *leg.* Dionyſius 67, 7. ſcena *leg.* ſcæua 71, 22 Boonium *leg.* Boomium 101, 24 taceren- tur *leg.* tacentur.

APPROBATIO.

Duo hi libri, *De vtilitate legendæ Hiſtoriæ*, Auctore Iohanne Bernartio Mechlinienſi, iuuene canorum ſenſuum, conſcripti, ordine dilucidi, varietate amœni, & recõdita eruditione pleni, neque Catholicam religionem, neque bonos mores offendunt, quinimo maximè promouent: quare cum magno legentium fructu eos imprimendos cenſeo. Datum Mechliniæ, anno 1592, die viceſimo primo Auguſti.

Laurentius Nagelmaker, S.T.Licentiatus, & Pœnitentiarius Mechlinienſis.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS *Priuilegio cautum eſt, ne quis* Iohannis BernartI de vtilitate legendæ hiſtoriæ libros duos *citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpienſis, intra nouem annos vllo modo imprimat, vel alibi impreſſos diſtrahat venaléſve habeat per omnes eius ditionis fines, ſub pœna confiſcationis & graui mulcta: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* V. *Ianuarij,* M. D. XCIII.

Signat.

I. de Buſchere.

ANTVERPIAE,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD VIDVAM,

ET IOANNEM MORETVM.

M. D. XCIII.


LABORE ET CONSTANTI